

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Philologias Vsvm In Demonstrandis Theologiae Capitibus
De S. Triade Creatione Peccato Lege Ivstificatione S.
Coena Svmme Necessarium ...**

Kirchmaier, Georg Wilhelm

Wittenbergae, [MDCCXI?]

VD18 10179909

[Philologias Vsvm In Demonstrandis Theologiae Capitibus De S. Triade
Creatione Peccato Lege Ivstificatione S. Coena Svmme Necessarium ...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-16818

I



Votiescunque, saepissime autem id fit, in mentem uenit Lutheri, Melanchthonis, Erasmi, Camerarii, aliorumque eruditionis facile principum, toties mirari satis non possumus, hos, cunctis, quibus nostrum circumfluit seculum et abundat, interpretationum, commentationum, codicum denique emendationum, subsidiis, si a ueterum monumentis discesseris, destitutos, ad eum nihilo secius doctrinae gradum peruenisse, ad quem ascendere nemini, uel instructissimo praestantissimorum omnis generis adiumentorum apparatu, nunc licebit. Quod si temporum illorum intuearis statum, tristissimus fuit, ac bonis artibus infensissimus, adeo, ut interdum studia humanitatis in crimine ponerentur capitali. Proh Dei hominumque fidem, quanta cum barbarie, haud sine uitae periculo, non conflictandum fuit Reuchlino, primo literarum Graecarum aequae, ac Hebraearum, instauratori, Erasmo, aliis. Superiorum memoriam seculorum non iniuria detestamur, totique perhorrescimus, quippe quorum tanta fuit inscitia, tanta ignorantia, ut, nisi idonei grauesque autores scriptum reliquissent, fide id laboraret, ac incredibile prorsus uideretur. Documento praesertim sunt epistolae obscurorum uirorum, ab Ulrico Hutteno, Io. Reuchlino,

A 2

ac

Hermannō Buschio, conscriptae, et, in sempiternum rudis et impoliti plane seculi dedecus, diuulgatae. Ut multa in pauca conferamus, tam miseranda fuit speciatim linguarum conditio, ut Latina tot fere uitiiis, quae barbarissimos et soloecismos Grammatici uocant, quot uocibus, cum singulis, tum coniunctis, constaret, Graeca uero portentum prodigiumque haberetur, eique, sicubi in scriptore uel eius uerbum occurreret, teste Maresio, haec nota appingeretur, *Graecum est, non legitur*, immo, ipsius etiam Pontificis permissu, quicquid difficile intellectu esset, silentio praetermitteretur, adhibita hac cautione, in prouerbii consuetudinem iam tum a maioribus adducta, *transeat, Graecum est, non legitur*, adeoque, extincto omnis ingenii lumine, elisisque eruditionis neruis, prorsus negligeretur.

II

Mirabitur quispiam, idque non iniuria, Martinum nostrum Lutherum ex tam crassis obstupescendae ignorantiae tenebris in tantam emerfisse lucem, qua, longe lateque diffusa, et nos adhuc, incredibili Dei beneficio, fruimur, quaque, et in eruditione, et in religione, collustramur. Sciendum uero, Martinum non eundem semper fuisse, tantumque a se differre, quantum ratio temporum, antecedentium a consequentibus, primorum a mediis, et ab extremis, differt, iustisque distinguitur interuallis. Namque initio, cum quaedam de *indulgentiarum*, quas uocant, nundinationibus amice duceret admonenda, eaque, ad disputandum, publice proponeret, Latinis institutionibus, ut erant tempora, satis eruditus, et, ad legendos

dos



dos eiusdem sermonis doctores, tum theologos, tum philosophos, eosdemque ueteres iuxta, ac recentiores, aptus, in primo rerum maximarum conatu, ingenium quidem prae se tulit eximium, et elegans, et ab natura bene informatum, sed literis nondum interioribus, Graecis Latinisque, et aliis, ab oriente profectis, excultum exercitatumque. Idcirco tum ultra Latinam Codicis sacri interpretationem, quam Erfurti forte, in bibliotheca publica, reperit, non quidem progressus, in ea tamen, ac Augustino praesertim, peruolutandis assiduus, prima inde purioris doctrinae iacere fundamenta coepit, ac, tenuioribus conatuum ipsius, nihilque minus, quam tantam rerum conuersionem, spectantibus, inuitis fortuna diuinitus adiuncta, et, aduersariorum furore, ingeniique lumine magis magisque accenso, diuinis plane donis auctus, arduum a sordibus repurgandae religionis negotium, Deo bene adiuuante, est aggressus. Latinam igitur, Graecamque ac Hebraeam, linguas, ab excellentibus magistris, Io. Reuchlino, Philippo Melanchthone, aliis, didicit, tantasque fecit in iis progressionem, ut, anno millesimo, quingentesimo, uicesimo primo, et consequentibus, quid exquisitissimis his adminiculis efficere posset, in Spiritus S. monumentis, e Graeco in Germanicum conuertendis, experiretur. Atque adeo, sola linguarum ope ac beneficio, nullis theologorum praeceptis, in artis formam ac libros redactis, adiutus, interpretandi negotio tanta felicitate defunctus est, ut facem omnibus praeferret, ac, illustris sui exempli documento, uiam et rationem, munere *Φιλολογίας*, diuinitus concessa, cum explanandi, tum defendendi maxime, sum-



ma emendationum sacrorum capita, a Christo nobis commendata, monstraret.

III

Hanc secutus est Martinus Chemnitius, Doctor Theologus, diuinis animi bonis uni secundus Luthero, ad conseruandam, per Martinum partam, religionem, uelut coelo delapsus, propugnator acerrimus, heros inuictus, scriptis sane, ediscendis ad uerbum, immortalis. In unum hunc theologum pariter, ac philologum, facile principem, nunc spectabimus, eiusque, ac Io. Gerhardi, cui tertiae merito tribuuntur, nonnunquam uestigiis, in praecipuis aliquot purioris fidei capitibus, ostendemus, theologiae cognitionem, sine *φιλολογία*, esse prorsus et omnino nullam. Nonne haec ipsa discenda est doctore Spiritu Sancto, aut Hebraea, aut Graeca, lingua loquente? Qui, quae-so, intelliges magistri huius optimi, maximi, sententiam, si sermonis eius, quo utitur, rudis plane sis et ignarus? Nonne reprehensionem incurreret omnium, aut deridendum se praeberet ac explodendum, qui, cum Gallo, Italo, Anglo, collocuturus, linguam cuiusque ignoraret. Absurdiusne fingi quicquam potest aut cogitari, quam, mentem alicuius indagare, interpretari aliisque exponere, uelle, nec leuissimam tamen sermonis eius notitiam habere? Illorum uicem ualde dolemus, qui interpretationibus Germanicis totos se dedunt, iisque fidem tribuunt haud fallacem, eoque, tanquam in portum ignorantiae suae, confugiunt, qui riuulos turbulentos et impuros consecretantur, fontes sanctos angustosque relinquunt, grauiissimam aliquando poenam contemptiois huius pari-



pariter, ac negligentiae, daturi Deo, qui, adhibitis explicandi adiumentis, scripturam sacram enucleare iubet ac perscrutari, ut in intimos diuinae mentis suae recessus penetretur, Io. V, 39. Licebit autem nobis, in hoc instituto, Chemnitii fontibus irrigare hortulos nostros, ac fundamenta, quibus doctrinam salutarem superstruxit, indicare, argumentaque, in operibus illius, deliciis nostris, dispersa, eo dictionis genere, quo ipsemet usus est, id est, non barbaro ac incondito, uestita, ad limandam illorum ueritatem, proponere. Id in primis curabimus, ut excellentis Theologi sententia, in Grammatica uerborum enarratione, aut neglecta, aut adhibita, potiorum fidei locorum aut incorruptae integritatis, aut deprauationis, sitam esse causam, illustretur pariter, ac confirmetur, ita tamen, ut sedes rerum, satis iam notae, et extra controuersiam positae, inani repetitione non amplius notentur. Huc grauiissima Theodori Abucarae uerba egregie, instar oraculi, quadrant. *Τοῖς τῶν ἀληθινῶν δογμάτων ἐρασταῖς τε, καὶ προασπισταῖς, ἀναγκαῖα καθέστηκεν ἡ τῶν Φωνῶν, περὶ ἃς οἱ Φιλόσοφοι μάλιστα καταγίνονται, διάκρισις τε καὶ διασάφησης. Τὴν γὰρ τούτων ἀκριβῆν γνῶσιν πολλοὶ τῶν δοκούντων εἶναι σοφῶν ἀγνοήσαντες περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠσόχησαν, καὶ εἰς ἀτοπίαν καὶ βλασφημίας ἐξώκειλαν, καὶ τῆς εἰς τὸ θεῖον ὀρθῆς πίστεως ἐξέπεσον, Opusculo II.* Sed ad propositum ueniamus, de Diuinitatis tribus *Personis* aliquid dicturi.

IV

Nemo diuinissimae huius doctrinae, qua aeterna salutis nostrae summa continetur, accuratam habere notitiam uidebitur, nisi, qui uoces has duas, *ὀυσίαν* et *ὑπόστασιν*, inuestiganda ipsarum ui ac inquirenda, perspexerit. Praxeani, Samosatēniani, Noetiani,



ni, Sabelliani, Seruetiani, Photiniani, Sociniani, calumnia sua, et nimis callida ac malitiosa scripturae, diuinius interpretatione, ueram grauissimi huius mysterii sententiam dudum, non dicam, obscurassent, sed crassissimis obruissent tenebris, funditusque deluissent, nisi doctores ueteris coetus, a Christo nomen adepti, reperissent has loquendi rationes, quae quidem ex uulgari Graecorum dicendi consuetudine sumptae sunt, ad argumentum tamen sacrum, elutis fordibus, accommodatae, idonea quadam significatione rem ita exprimunt, ut quibusuis aduerariis resistere satis, *unitatemque pariter essentiae, ac personarum trinitatem*, inde, quantum fieri potest, defendere queas. Quamobrem illarum usu uocum Arius aequae, ac Sabellius, uehementissime offendebantur, ac, non modo nouas esse, sed etiam profanas, et ex philosophia, ueri Numinis experte, profectas, criminabantur. Sed salua res est, dudumque satis a Cyrillo, Alexandr. ostensum, tametsi neque in monumentis Spiritus S., neque in septuaginta uirorum interpretatione, ex Athanasii et Nazianzeni opinione, haec loquendi forma nominatim extet, rem tamen ipsam, his uoculis insignem, tum manifesto ibi deprehendi, tum, contra infensissimorum salutaris doctrinae hostium insidias, his ueluti praesidiis, muniri.

V

Sed de *ὁυσία*, uel formula Aristotelis, *τὸ τί ἦν εἶναι*, Dei, operae pretium est, speciatim aliquid admonere. Nulli quidem infitias ire possumus, uocem illam ex philosophorum, cum primis Platoniorum, disciplina fluxisse, non tamen ut ex suis ipsorum fontibus,

bus, quippe quae potius ab Hebraeis orta, et ex יהוה, procreatrice, ac uelut parente, sacrosanctae appellationis, יהוה, a septuaginta uiris κύριος semper reddita, imitationis beneficio, ducta sit. Ab illis ipsis יהוה, ὁ ὢν, scite uertitur, et exquisite non tam *participii* forma, quam nominis, aut *adiectiui*, haud fecus ac γνήσιος, quod rem ueram et solidam, magna exemplorum ui, Erasmi Schmidius Ioh. X, exponit, aut *proprii*, ab ipso Deo Mosi, nomen percontanti, non obscure patefacti, iterumque ac tertio inculcati, רשן יהוה, et יהוה שלחני אליכם, Ex. III, 14. Atque id causae est, cur, sine labe *σολοικισμού*, Ioannem sic scripsisse, contendamus, χάρις ἡμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσχόμενος, Apoc. I, 4, contra, ac Des. Erasmus in primis ipsum accuset, Io. uero Crocius, H. Grotius ac Io. Mich. Dilherus, Syriaca structura, nescio qua, excusent. Si τὸ ὁ ὢν, reliquaque, ut nomen κυριακὸν, omnis uarietatis expers, considerentur, ac ἑλλησμις, Graecis familiarissima, in sacrarum pariter, ac profanarum, rerum autoribus, per τὸ λεγόμενον καὶ ὄν, pro re nata, suppleatur, nullus suspicioni alicuius uitii relinquitur locus. Vnde οὐσία proficiscitur, quae quidem in Codice Spiritus S. diserte, et ad uerbum, non legitur, commode tamen hinc elicitur, et laxiori significatione, generatimque, alias φύσις, 2 Petr. I, alias μορφὴ, Philipp. II, alias θεότης, Col. II, alias ὑπόστασις, Hebr. I, alias, ὑπαρξις, Macrobbii, *existentia*, aut *extantia*, Vigilii uerbo, dicitur, et cum ipsis saepe, ante Sabelium et Arium, confusionis huius studiosissimos, apud Patres coetus diuiniōris, eorumque maiores, autoritate Aristotelis, ceterorumque philosophorum, motos,

B permi-



permiscetur. Quorum tamen singula momenta, ut
 latius quid, et angustius, si non re, at animo et cogi-
 tatione, seu ἐπινοία, sunt distinguenda, ne aduersariis ca-
 lumniandi, id est, malitiose interpretandi, occasio
 detur. Quemadmodum uero οὐσία, οὐσίωσις, Θύσις,
 εἶδος, ὑπαρξις et ὑπόστασις, a Graecis Christi antistitibus,
 Ignatio, Pierio, martyribus, Athanasio, Eusebio, Grego-
 rio Nysseno et Nazianzeno, Epiphanio, aliis, non inter-
 noscuntur, ita *essentia, substantia, subsistentia, existentia,*
natura, res, persona, genus, species, forma, figura, pas-
 sim leguntur perturbate, promiscuoque usu uehemen-
 ter Latini inter se pugnant, ac utriusque sanioris philo-
 sophiae, iusti ordinis pariter, ac facilioris explicatio-
 nis, magistrae, legum negligentes, detestabilem erran-
 di materiam praebent. Illorum tamen nihil naturam
 Dei interiorem, penitusque abstrusam, aperit, quae,
 quodammodo cernitur in effectis. Serpsit haec lo-
 quendi ratio longius, et uel hominibus, Christianae
 ciuitati haud ascriptis, in consuetudinem uenit. Py-
 thagorae, et Platonis praesertim, qui a Numenio
 Μωϋσῆς Ἀττικίζων appellatur, schola, ut supra diximus,
 uocibus εἶναι, ὄν, uel, τὸ ὄν, οὐσία, personabat, quas si-
 ne ulla dubitatione Mosi acceptas refert, ac diuinita-
 ti proprie, tanquam οὐσιώδεις, uindicat, sententiae,
 suae Numinis uere colendi doctores nactus suffraga-
 tores, temporis tamen et praeteriti, et futuri, no-
 tas, quasi diuina mente indignissimas, faceffere pror-
 sus iubet, in Timaeo, hisce uerbis: τό γ' ἦν, τό γ' ἔσται,
 χρόνου γεγονότος εἶδη, φέροντες λαυθάνομεν ἐπὶ τὴν αἰδίον οὐσίαν,
 οὐκ ὁρθῶς, κ. τ. λ. Ceterum Dionysius, coelesti uelut
 afflatu, pronuntiat, ὅτως ὄν, καὶ τῶν ὄντων ἀπάντων οὐσιο-
 πιον,



πιν, libro de diuin. nomin. uid. Petauius, hoc in argu-
 mento, praeter ceteros, reconditoris doctrinae cau-
 sa, laudandus, dogmat. theologicor. tomo I et II, passim.
 Vocabulo *essentiae* Latium, Seneca et Sidonio testibus,
 in epistolis, auxit Cicero, quod a Plauto durius, Quin-
 tiliani iudicio, excogitatum, ille autoritate sua emolli-
 uit, dicendi uero scribendique magister, usus, theologis
 egregie accommodauit. Quo uero haec *ουσία* ab a-
 liis imperfectis separetur, eiusque absolutio et perfe-
 ctio fiat testator, *αυτούσιος, μονούσιος, παντούσιος, υπερού-
 σιος, απειρούσιος*, excellenter uocatur. Ex quibus facili ne-
 gotio, etiam non Christiani, sapientiores, eiusdem
unitatem collegerunt, reapse Deorum multitudinem,
 abominantes, uerbis licet, formidine poenae, animi
 fensa dissimulantes. Quamuis adeo satis constet,
ουσίαν non ignorasse ueteres philosophos, sed, ut domi-
 cilium summi Numinis proprium, et, tanquam imagi-
 nem, ab ipso Deo utcunque expressam, quoad qui-
 dem licuit per ipsorum infirmitatem, intuitos fuisse,
 fatendum tamen, descriptionem eius theologo-
 rum tantum ab illorum explicatione sapientum dif-
 ferre, quantum hi *essentiam*, quae communicari po-
 test, animo tantum uniuerse fingunt, per se nequa-
 quam existentem, et, aut generis, aut speciei, nomine
 designatam, isti, in diuinis, sine mentis opera, tribus
Personis communem, eamque in singulis uniuersam,
 certo demonstrant. Quidni enim ab Aristotele, et alio-
 rum praeceptis, in capite mysterii, totam humani
 ingenii uim longissime superantis, recedere, ac locu-
 tionem, aliquantum immutatam, ad maximum salu-
 tis aeternae momentum hoc, quod, pro imbecilli-



tate naturae, nullo definire modo possumus, adumbrandum, liceat quadrare. Ceterum, admiremur, necesse est, nomen illud ab Hebraeis hominibus, ueri Dei ignaris, iisque moratoribus, proditum esse, et ad Christi coetum peruenisse, non sine plausu assensuque omnium, si ab iis discesseris, qui partim, infra maiestatem diuinam positum illud, consilio non satis pio prudentique, existimarunt, partim, in deterius rapientes, maximas dederunt turbas, noua moliti. Nec potest non idem comprobare fanaticus alioqui talium irrifor rerum, P. Poiretus, *Cogitat. rational. de Deo*, nunquam fortasse assensurus grauiori huic argumento, nisi Plato easdem loquendi formulas praeriret.

VI

Alterius *Triados* uocabuli, τῆς ὑποστάσεως, examinandum est pondus, ne tanta res iaceat in tenebris, et deprauandi hostium libidini exponatur. Primo autem proprium eius domicilium, id est, natiuam significationem, migrationem deinde in alienum, siue translationem, intentis oculis contemplemur. Graeca profecto lingua pure eleganterque loquentibus usu tritissimum est, et perquam uarium illud, ut modo rem uere, solideque ac simpliciter, existentem, cui Aristoteles ἐμφασιν opponit, modo animi praesentiam, Polybio, modo insidiarum locum, Sophocle, modo feces, in fundo dolii subsidentes, Menandro, autoribus, aliaque plura, ab instituto nostro longe alienissima, ita appellent. In quibus, licet, numeremus literis diuinitus consignatum loquendi genus, ὑπόστασι τῆς καυχῆσεως,

σεως, 2 Cor. IX, 4, ἐλπίζομένων ὑπόσασιν, Hebr. XI, 1, τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, Hebr. III, 14, orationem Polybii redolens, cuius uestigia, in N. dictione Foederis, crebra et manifesta comparent. Prima hic locum obtinet notio, in qua, sibi subiecta, philosophus uersatur, quamque tractat, nec Plato ignorat, et Io. Damascenus, accurate, instar omnium, edisserit. τὸ τῆς ὑποστάσεως ὄνομα δύο σημαίνει· ποτὲ μὲν τὴν ἀπλῶς ὑπαρξιν, καὶ ὁ σημαίνόμενον ταυτόν ἐστιν, οὐσία, καὶ ὑπόστασις. Ὅθεν τινὲς τῶν ἀγίων πατέρων ἔπον, αὐτὰς φύσεις, ἡγούν τὰς ὑποστάσεις, ποτὲ δὲ τὴν κατ' αὐτὸ καὶ ἰδιοσύστατον ὑπαρξιν, καὶ ὁ σημαίνόμενον τὸ ἄτομον δηλοῖ τῷ ἀριθμῷ διάφορον, *Dialect. c. XLII.* Quod si Graecos antiquissimorum doctorum commentarios replicamus, cognoscere inde licebit, quosdam non modo non οὐσίαν ab ὑποστάσει distinxisse, sed etiam, quasi paria facerent, inter se confudisse, Basilium tamen, Gregorios ambos, Nazianzenum et Nyssenum, quorum hic, ex instituto, de utriusque differentia, librum scripsisse fertur, cum laude, interiecto aliquo spatio, discreuisse. Nobis temperare haud possumus, quin miremur, concilium Nicaenum, cui in primis Athanasius interfuit, eiusdem discriminis non satis habuisse rationem, atque adeo, cum, contra Arianos, causam *Triados* diceret, ac Filii ὁμοουσίαν stabiliret exaggeraretque, Sabellianis, praeter opinionem, dedisse aliquid ac concessisse, quod sibi non minimum gratulabantur, Basilus autem, epist. LXXVIII, nequicquam excusat. Posteris temporibus, quotquot *ecclesiam* scriptis illustrarunt, distincte, conceptisque uerbis, in Deo, μίαν οὐσίαν, καὶ τρεῖς ὑποστάσεις, tradiderunt pariter, ac defenderunt. At enim obstare hic uidetur Hebr. I, 3, ubi Filius

καὶ

B 3

dicitur



dicitur *χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* (Θεοῦ), idque Latine uulgo uertitur, *figura substantiae eius*, id est, *essentiae*, quod certe iis repugnaret, quae paullo ante, de *οὐσίας* et *ὑποστάσεως* differentia, sunt dicta. Sed generatim iterum, responſi causa, commonendum est, quod iam supra, nostro praestruimus instituto, diu, ante conscriptum N. Testamentum, re ipsa idem utrumque significasse uocabulum, nec, nisi ratione et *ἐπινοία*, inter se discrepasse, *ὑπόστασιν* figillatim et *οὐσίαν*, et *ὑπαρξιν*, et *τρόπον τῆς ὑπάρξεως*, *ὑποστατικὸν ἰδιώμα*, simul complexum esse, nec Aristotelem accepisse aliter, si de concreto, non praeciso, aut de *substantia prima*, ut uocat, non *secunda*, generis ac speciei nomine distincta, ei sermo esset. Alioqui recte iudicat Maximus, martyr, *θεότης*, siue *οὐσία*, τὸ τε ἦν εἶναι σημαίνει ἢ τε ὑπόστασις, τὸ εἶναι. *Dial. I.* Suidas, qui ueterum sententias, in gratiam posteritatis, singulari studio congeſſit, uehementer fallit hic, falliturque, nescio cuius autoritate inductus, cum Graeci huius uocabuli, per *personam*, explanationem pro uetustissima, et iam inde ab *Apostolis* accepta, uendit. *ὑπόστασις, κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν καὶ ἀποστολικὴν παράδοσιν, τὸ πρόσωπον, ἡγοῦν ὁ χαρακτήρ, ὡς Φησὶν ὁ ἀπόστολος τὸν υἱὸν ἀπάντασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, τούτῃσι, πρόσωπον ὁμοούσιον τοῦ χαρακτῆρος, καὶ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς.* Recentiorum non nulli, in iisque Beza praesertim et Calvinus, cum Origene, existimant, *χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς* ideo dici Filium, quia in ipso, carne recto, ac humana specie induto, maiestatem Dei, alioquin non uisam, uelut in imagine, cernere licet. Erasmus noster Schmidius aliam subiicit rationem, quod *essentia*, aut *substantia*, sui ipsius

ipsius *χαρᾶν*, uel *εἰκῶν*, esse non potest. At enim uero, nos, subductis rationibus, quae utramque in partem afferuntur, cogitationum nunc summam facimus, *ὑπόστασιν*, hoc loco, *οὐσίαν* necessario explicandam esse, statuentes. Praeterquam enim, quod tum, cum haec scriberet autor epistolae ad Hebraeos, pro *essentia*, maxime philosophis, se illa probabat, ac in ipsorum sermone uersabatur, tam altis defixa notionis huius radicibus, ut, quemadmodum supra ostendimus, in unum confusa distinguere et a se diuellere potuerint aegre, quamuis Sabellius cum primis et Arius, detestandis suis dogmatibus, societatem Christi misere uexarent, etiam ex contextu orationis patet, firmissimum *ὁμοουσίας* argumentum inde sumi posse, quod huic praesertim, acerrimo *Triados* oppugnatore, Patres plerique fere omnes, prosperrimo euentu, opposuerunt. Lutherus idem confirmat, ac illam Filii imaginem penicillo suo egregie pingit, *tomo VI VVittenbergensi*. *ὑπόστασις*, Graeco, *πρόσωπον*, respondet, uocabulo ancipiti, quo, sine dubitatione, rem indiuiduam, singularem, intelligentem, minimeque cum pluribus communicatam, ac per se subsistentem, declaramus, longe aliter, atque Sabelliani quondam, qui unam quidem proferebant Dei *οὐσίαν* aequae, ac *ὑπόστασιν*, sed alia atque alia facie indutam, ac personam, modo Patris, modo Filii, modo Spiritus S., similitudine ex theatris repetita, praeditam, exhibebant. Etenim, in hanc sententiam, plurimum usurpant uocem optimorum monumenta Graecorum perinde, ut Latina, uultum, simulatum quid, laruam, officium, interpretantur. Conditoribus tamen N. Foederis *συνε-*
δοχι-



δοχικῶς, pro toto homine, saepenumero in usu est. adeatur Erasmi Schmidius, Io. XVI, qui in argumento hoc euoluendo diligentissime uersatur. Quoties autem Filius Patris, aut Spiritus S. Filii, πρόσωπον appellatur, toties de uultu, natura uidelicet, qua similitudine sibi sunt *Personae*; Clementem ac Cyrillum, Alexandrinos, Gregorium Nyssenum, reliquos, conuenit, explicari. Accedit φύσις, Aristoteli iuxta, ac philosophis, si Anastasio, in οδηγῶν, credimus, rarius tamen, pro ὑπόστασις, non magis, quam ὑπαρξις, usitata, alioque nomine ὑφιστάμενον, ab Hebraeis מור, nuncupatur. Dici tamen non potest, quanta turbarum materia extiterit haec confusio, ut ipsemet Damascenus memoriae prodit. ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ ποιῶν τοῖς αἰρετικοῖς τὴν ἑκλάνην, τὸ ταυτὸ λέγειν τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν, L. III, 3. Sane perpauci, uel post habitum concilium Nicaenum, usque ad Cyrilli, Alexandrini, memoriam, et amplius, de duobus illis momentis distincte separatimque praeceperunt. Quanquam sapientissimi homines minus negant, naturam, et τρόπον τῆς ὑπαρξεως, seu existendi modum, perpetuo, ut *Lentulitatem* illam Ciceronis, aut *Appietatem*, sub oculis non subiectam, ab ipso Lentulo atque Appio, omnium conspectui expositis, re uera differre. Barbari in Latio, *persona*, *supposito*, *indiuideo*, utuntur. componatur Petauius, *dogmat. theolog. t. I, II*. Vociferantur hic fanatici, in iisque P. Poiretus, uoces has tales Spiritui S. inauditas esse, peregrinas et profanas, minimeque utiles, ac illiteratae pestiferas plebi. Non quidem dissimulamus, eas in scriptis Dei frustra quaeri, nulloque modo, diserte nominatimque expressas, inueniri posse, sunt tamen ex re ipsa
ora-



oraculorum atque mysteriorum, adhibitis subsidiis, ductae, et ad mentem diuinam compositae, ac, si quas gentes, eaeque colentes Deorum, suppeditarint, a fordibus repurgatae, et ciuitate Christiana donatae. Quod si Graecis, Latinis, Germanis, aliis, quaedam, aut aliunde mutuari, aut, summa postulante necessitate, noua fingere, licet, si opificibus, artificibusue, ad artem suam tractandam idonea, excogitare, fabricare et quadrare, quanquam nobis incognita, integrum est, quid tumultuamur, stomachamur, aut asperius inuehimur in locutionem, qua Spiritus S. sensa possumus explicare? Qua fronte uniuersae sapientissimorum uirorum antiquitati contradicemus? Qua temeritate arma, quibus, tot tantisque uictoriae testibus, fidei emendatae hostes fusi fugatique sunt, et funditus deleti, spernemus ingrati? Poiretus, non recusarem, inquit, uocabula, nisi uulgus offenderent, et impias gignerent cogitationes. Risu magis, quam responsione, digna haec est dubitatio. Quid, quaesumus, humano more de Deo praedicabis, quod non ipsi conuenienter congruenterque expones. Submoue modo *ουσίαν* et *υπόστασιν*, data porta, uelut agmine facto, irruent infensissimi Christiani nominis aduersarii. Quid porro dicendum de Graecorum uoce *ομοούσιος*, quae in *περιχωρήσει*, theologis nota, est fundata? Tolle illam, et, sua ore Erasmo, memoriam eius prorsus dele, Athanasium, sic docentem, cum Procopio, historico, ut pugnacem et contentiosum, reprehende, concilii Nicaeni, eodem de argumento, disputationes, alioqui saluberrimas, perinde, ut futiles, uanas, et ad disturbandam Christiani orbis concordiam compositas,

C

positas,



positas, abominare, de sublata Filii Dei diuinitate, triumphabit Arius, peruincetque, et tempore, et natura, et dignitate, eum Patre inferiorem esse, oracula quoque Scripturae diuiniore, ipsi obiecta, interpretatione callida eludet. Quod si uero τὸ ὁμοούσιος, cuius notioni una uoce exprimendae par non est Latina lingua, urgeas, hominem uaserrimum, et, ad deprauandam ueracis Numinis sententiam, acutissimum, maximeque lubricum, hoc, tanquam uinculo, adeo constringes, fulmineque percuties, ac in tantas coniecies angustias, ut, aut affirmare, sicque corrigere detestandum dogma suum, aut negare, sicque abominandam, quam occultauit, in Filium Dei impietatem prodere manifesto, ipsum oporteat. Vbi argumentis opus est, illustrium uim nominum, quae in ueteri Testamento attributa huic ipsi leguntur, exempli gratia, יהוה, אלהים, ארני, צבאות, עליון, excutere debes, unde firmissima, aduersus Arianos, concludendi ratio accersitur. Nec Spiritus S. recte cognosci potest, nisi uocabula, quibus, tanquam notis, designatur, ac, uelut penicillo, pingitur, inquirantur, in iisque praesertim τὸ πνεῦμα explicetur subtilius, ac uaria et multiplex significatio distincte percipiatur. Si hoc non esset, nihil de tertia *Triados Persona* teneremus, nihil exploratum cognitumque haberemus. Cum enim diuinitatis ipsius naturam, propter ingenii mortalis infirmitatem, perspicere, adeoque solidam eius et expressam imaginem nullo modo queamus intueri, in nominibus acquiescamus, quibus se patefacere, et cognoscendum uoluit praebere. Vnde, quaeso, Macedonianorum, et, ut uno uerbo complectar omnes, τῶν πνευματων.

ματομάχων, certamina sunt exorta, nisi ex prauissimo illorum usu locorum, ubi uox, spiritus, alia atque alia notione, usurpatur? Namque modo, pro ui aliqua, agitante, modo, pro uentis, modo, pro uita, seu anima, hominis, modo, pro angelis, modo, pro animorum motibus, modo, pro nomine diuinitatis tribus *Personis* communi, modo, pro appellatione tertiae, tantum propria, modo denique, pro donis sanctioribus, adhibetur. Quae, si confunduntur temere ac permiscentur, sanioerem doctrinam penitus corrumpunt, et perniciosas creant opiniones. In mentem hic uenit praedicare singularem prorsus ueteris Dei coetus industriam, in eoque cum primis Didymi, Alexandrini, qui, his in mysteriis, nec minutiora neglexit, ac, loco quodam, ostendit, scriptores N. I. diuinitus afflatos, quoties *Personam* Spiritus S. indicare uellent, aut articulum, τὸ, aut ἅγιον apponere, solere. Quanquam admonitio haec non omni exceptione maior est, ac interdum fallit, laudanda tamen, diuinae menti, semel atque iterum, ac saepius, accurate respondens, cuius exemplum oppido luculentum Io. I, 32, VII, 39, non sine uoluptate, cursim obseruamus. Quid porro de solennissimo illius officio nobis constaret, sine uoce παρακλητος? qua grauior, optimis uberior sententiis, pulchrior, et, ad exponendas aduocati partes ante oculos, aptior, in Graecis literis alia non comparet. Ex ui enim ipsius iudicatur, eundem esse nostrum doctorem, consolatorem, deprecatorem, defensorem nostrum, qui bonorum, per Christum partorum, nos facit possessores. Praeterea, qui Christi disciplinam colunt, hoc fidei momentum edo-

C 2

cti



cti sunt, Spiritum S. non factum, nec conditum, nec genitum, sed a Patre et Filio procedere, seu ἐκπορεύεσθαι, ut diuiniore lingua neruosius loquamur. Id sane uocabulum eius proprium est, nec, aut de ipfius, aut Filii, miffione, tabulis noui Foederis confignatum, quae potius uerbo ἐξέρχεσθαι, aut ἐπέρχεσθαι, notari folet. Quae fi cum Hebraeis conferuntur literis, antiqui Testamenti mira reperitur concordia, cognofciturque fubtilius ex loquendi ratione, cum Graecorum, tum Hebraeorum, חַי וְקַי et חַי וְקַי, proceffionem illam, non motum leuiorem, fignificare hic, fed efficaciffimum, poteftatis aequae, ac uoluntatis, plenum, nec male a נָשָׂא internofci, quod de filio, ex natura patris, beneficio generationis, orto, fiue, ut enucleate dicamus, uelut egrediente, proprie adhibetur. Exquirantur hic Matth. XV, 18, Marci VII, 21, Mich. V, 2.

VII

Ad religionis noftrae caput de *Creatione* pergimus, quod a philofophis prifcis, uel fapientiffimis, ueri tamen Numinis luce haud colluftratis, nunquam intellectum, ab hominibus uero Chriftianis, figillatim Saturnino, Bafilide, Valentino, eiuſdemque difcipulis, Cerdone, Marcione, Manichaeis, reliquis, doctriinarum monſtris ufque eo corruptum, ut impietatem merito perhorrefcas. Si cum iis hodie nobis difputatio intercedit, qui, mundum, negant, ex nihilo fabricatum, materiamque, nefcio quam, primam, et initium antecedentem rerum omnium, ftatuunt, operae pretium eft, inſpicere facrarum Literarum locos, de *creatione*, ex inſtituto, loquentes, in iifque uim uerborum,

rum, quibus diuinæ mentis sensa explicantur, ponderare. Nobis quidem haud latet, esse, qui, nullum, robur sententiæ nostræ ex Spiritus S. dictione, putant, accedere posse, pugnantque, tantum abesse, ut Hebraicum, ברא, fabricationem ex nihilo designet, ut rei potius, iam extantis, constructionem demonstraret. Nec, si uerum dicere uelimus, in ipso *Genesios* initio, argumenta huic opinioni desunt, cum cap. I, comm. 27, ter, unum idemque uerbum, de homine, ex humo fingendo, sui copiam faciat, ut alia complura id genus exempla taceantur. Dionys. nominatim Petauius, non uno loco, *theologic. dogmatum*, persuadere uult, ad declarandam procreationem uniuersitatis nihil inde momenti posse depromi, ac Hebraeorum magistrum, Aben Efram, idem sentientem, contra Kimchium, excitat. Nihil tamen impedit, quo minus primum propriam illius significationem, in effectiōe ex nihilo, re nulla prorsus existente, deinde, ex materia rudi plane et indigesta, unde nouum quid, ac omnis expertis similitudinis, conficiatur, ponamus, tum tralate idem capiamus, ad alia, quæ a stirpe longissime distare uidentur, accommodatum. Habemus uero consentientem Iac. Guffetium, V. C. in *comment. L. H.*, ברא potissimum conuenire cum Latinorum formula, ex plane nihilo producere aliquid, idque commentandi genus *Genes. I, I*, dictionis pondus examinanti manifestum esse. Quapropter nemini, praeter Deum, illud tribuitur, eiusque potestati merito uindicatur. Quæ si cui minus arrideat explanatio, contrariam probet nobis firmiter, modo ne ad alteram delabatur notionem,



qua, ex materia inepta et inhabili, aliud, quod nondum occurrit, formatur. Si, inquam, non placeat ita interpretari, dic, sodes, quid ante iacta mundi fundamenta, id est, coeli ac terrae procreationem, reperiebatur? Merum nihil, fateberis. Sic recte idem uocabulum, eiusdem notionis, eodem loci, de balaenis et cetis aequae, ac homine, aliis, inuenitur. Comparari hoc cum Graecorum κτίζειν solet, licet, saepius per ποιεῖν uerterint, quae promiscue, nulloque delectu, leguntur. τὸ δὲ Ἑβραϊκὸν, ait Procopius, Gazaeus, τὸ ἐποίησε, σημαίνει καὶ τὸ ἐκτίσσε, καὶ τὸ ἀνέδειξε; *comment. in Genesin.* Ad κτίζειν quod speciatim attinet, nisi de re, scriptoribus profanis usitatum non est, quibus hoc institutionis Christianae scitum portenti prodigiique simile uidebatur, ac incredibile dictu, terrarum orbem ex nihilo constitutum esse. Ergo utriusque linguae dispar hic est ratio, nec, quod Hebraea praestat, idem a Graeca expectandum religionis nostrae stabilimentum. Atque adeo, quod demonstrare indidem uolumus, obscurius patet, cum apud Herodotum, Thucydidem, Aelianum, alios, φράσεις legantur, κτίζειν πόλιν, χωρὸν, νῆσον, κ. τ. λ., notione partim condendi urbes, partim conditas incolis frequentandi, ab hoc loco alieniores. Contra Arianos disputatum quondam fuit, num κτίζειν et γεννᾶν paria faciant, eodemque usu coniungantur, illo *Proverb. VIII, 22*, abusos, κύριος ἐκτίσέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, ubi כְּנִיִּךְ Chaldaeus cum בְּרִיאָתִי commutat. Apud Latinos dubitationis illud nihil egeret, a quibus uno eodemque significationis loco utrumque numeratur. Elegantissimi Ciceronis loci in mentem nunc uenit, *in urbe luxuries crea-*
tur,

tur, ex luxuria existat auaritia, necesse est, ex auaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur, pro Sexto Roscio. Eandem in sententiam, matrem creatricem, ac gignere creare, Virgilius dicere consuevit. At Graeci inter illa spatium aliquod interiiciunt, et suos cuique fines describunt, a promiscua tamen hac dicendi ratione non prorsus abhorrentes, autore cum primis Aristotele, qui alicubi, per τοὺς γεννῶντας τὸν κόσμον, mundum gignentes, intelligit, genitum asseuerantes. Pari modo, mundum unigenam procreatum, Cicero, de uniuersitate, scribit. Theologi creandi uocabulum, pro ex nihilo fabricandi facultate, Latii recentioris ciuitate donarunt, suumque fecerunt. Latissime manat Hebraeorum עשה, suoque ambitu ipsum ברא complectitur, eique sic respondet, ut cum hoc identidem permutetur, ac modo ברא, modo עשה, eadem in re, passim se offerat, hocque, Genes. I, 31, nobilissimam, ex nulla materia, architectandi respiciat potestatem, ac iis etiam accommodetur, quae illud exprimere nequit. Quod quidem, aut ποιῆν, aut facere, interpretes exponunt, non tam consilio quodam distinguendi, cum perleue discrimen sit, quam uim parandi et aptandi, quae eo continetur, utcunque explicandi. Dilucidior est τοῦ πλάσσειν, siue formandi, ratio, quam יצר suppeditat, a fictore, nominatim figulo, pulcherrimum opus faciente, petito. His denique additur ישר, fundare, fundamentum ponere, quod, in argumento de creatione, longius fufum, ad institutum nostrum affert momenti permultum, ac rerum naturae ex nihilo prorsus fabricationem ualde confirmat. Numne animum inducas, credere, ante posita mundi fundamenta ex-

ti-



titisse quicquam, nisi cum ratione insanire uelis? Haec ipsa loquendi forma nec Graecis displicuit, qui τῶ καταβάλλομαι modo, sine accessione, ut, καταβάλλομαι λόγον, Aristoteles, modo, cum adiectione τοῦ θεμελίου, uenusta tralatione, utuntur, et ab ipsis scriptoribus, diuino instinctu concitatis, est frequentata. Inde, iterum ac saepius, ἀπὸ, πρὸ, καταβολῆς κόσμου, legitur, ex quo, haud obscure, sententia corroboratur. Reliqua, ut, כוּן, ויהי, שפר, פש, non spernenda adminicula subministrant. Extremo fatemur ingenue, illam uocum, de quibus modo differuimus, differentiam, in sacro Codice, non perpetuam esse, cum, extra coelestis huius doctrinae domicilium, naturali sede sua dimotae, alia atque alia ui significandi occurrant, et accurate, si loquendi consuetudinem, coetus, Deo coniuncti, propriam, aduertas, internoscantur.

VIII

Ecquis porro putet, naturam *Peccati* exquisite cognosci, eamque definiri ulla ratione posse, sine φιλολογία; Hoc in campo paullo liberius excurremus, et, quid eius rei profanis hominibus cognitum exploratumque fuerit, inde aestimemus, quod ueterum Graecorum scripta his praesertim uocabulis, κακία, ἀμαρτία, πλημμέλεια, ἐξυβρίζειν, ἀδικεῖν, abundant, quae, si animum afficiunt, uitium et malitia, si leuiores extrinsecus admittuntur, error, delictum, peccatum, si grauiora et manifesta, flagitium, facinus, scelus, dicuntur. Ex his nondum perfecte, planeque peccati ratio constare potest, quippe quae tanto latius patet, quanto lex Scripturae legem naturae

rae



rae longius superat, accuratiusque ipsos prauarum actionum fontes aperit, ac de iis seuerius cognoscit, statuit, iudicat, eaque damnat, et, ultricibus flammis digna, pronuntiat, quae illis Deorum cultoribus ne iniustam quidem reprehensionem incurrere uidebantur. Hanc nostram comprobat sententiam Paulus, qui diserte ait, nesciuissem, cupiditatem esse peccatum, nisi lex eam uetuisset. De hoc, libitum est, paullo plura dicere, et, ex antiquo Foedere, Hebraice exarato, non quidem explicare, sed leuiter tantum cursimque, perstringere, nomina, quae rem nobis ante oculos ponunt omnem. Atqui נטח, עון, פשע, פגגה, זרון, אשם, רשע, מרד, ibi leguntur, quibus grauissimae notiones subiectae sunt, modo, aberrationem a lege per infirmitatem, modo, uiolationem eius per petulantiam, dataque opera, modo, defectionem a Deo, eiusque horrendam derelictionem, indicantes. His ea respondent, quae Graecis N. Instrumenti tabulis comprehenduntur, uelut, ἀμαρτία, ἀμάρτημα, παράπλωμα, ἀνομία, παρακοή, ἀπειθεία, παράβασις, ἀδίκη, ἀσέβεια, ἀποστασία, et id genus alia, quae diuini scriptores a septuaginta interpretibus, eandem in sententiam loquentibus, mutuari esse uidentur. De peccato, ut ab Augustino primum uocatur, contra Pelagium, *originis*, speciatim admonendum est, a Paulo, in epistolis, ad Romanos, Hebraeos, ceteros, ἀμαρτίαν τὴν ὀμῶσαν, ἐνπερίστατον, κακὸν, παρακείμενον, ἐπιθυμίαν σαρκὸς, παθήματα τῶν ἀμαρτιῶν, θελήματα σαρκὸς, ἀγνοίαν, πάρωσιν τῆς καρδίας, grauib; sane dictionis ponderibus, appellari, quae partim a Suida, similibus Graecorum formulis, idoneisque commentationibus, explanantur.

D

planantur.



planantur. Non minus Testamentum uetus his talibus pestilentis uitii, totamque hominis naturam penitus corrumpentis, et altissime infixi, descriptionibus abundat, quas, propter instituti angustias, libentes praeterimus. Haec, haec, fundamenta sunt totius sacri de peccato argumenti, inde definitiones, inde diuisiones, extrui et confici debent. Nonne omni nunc luce clarius est, oraculorum explanatorem, ab his necessariis *Φιλολογίας* subsidiis destitutum, nequaquam tueri nomen suum, mentemque diuinam, pro eo, ac ipsum decet, nullo modo interpretari posse?

IX

Cumque adeo, cum latis rationum momentis, ostensum sit, labis fundamentum in aberratione a lege positum esse, de hac, eodem industriae operisque cursu, aliquid exposuisse iuuabit. *Legis* nulla prorsus est notitia, nisi uocis uim subtiliter perpenderit, significationes eius praecipuas exquisite distribueris, appellationes, a Spiritu S. uarie usurpatas, recte diiudicaris, et eam, quae huius loci propria est, inuestigaris. Quae sane opera, tantum abest, ut leuis sit, ac eruditi persona theologi indigna, et superuacanea, ut potius incredibile adiuumentum, ad rerum sacrarum intelligentiam, afferat pariter, ac rationem aduersariis respondendi firmam suppeditet. In Epistolis Paulinis uersatus haud ignorabit, uocabulum ibi diuerso maxime usu insigne esse, ac, modo, in loquendi figura, νόμον ἐν τοῖς μέλεσι, νόμον τῆς ἀμαρτίας, νόμον τοῦ θανάτου, pro ui ac impetu mouentis et impellentis, uerbi causa, peccati, mortis, modo, pro doctrina uniuerſa, diuinitus pate-

patefacta, modo, pro libro ueteris Instrumenti, modo, pro decem illis praeceptionibus, actiones bonas, et omnis uitii expertes, nobis imperantibus, modo, pro acerbissima legis damnantis seueritate, gratiae contraria, accipi, sicque, pro re nata, aliter atque aliter, explicari, debere. Ex his, non distincte definiteque traditis, Monachorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Libertinorum, certamina, non ludicra, exorta fuerunt. Minus alienum erit ab hoc loco, uel in transitu, docere, Paulo id moris esse, ut, si sermo sit de lege, a Deo condita, eam grauioribus uerbis dilaudet, sin hanc comparet cum *euangelio*, potissimum in capite de *iustificatione*, ignominiosa illi imponat nomina, eamque uocet τὸ γράμμα ἀποκτείνον, τὰ ἀδυνή καὶ πτωχὰ σοιχεῖα, τὴν δύναμιν τῆς ἀμαρτίας, τὸν ζυγὸν δουλείας, quibus nihil, ad infamiam perniciemque indicandam, insignius est, nihil, ad excellentiam N. T. demonstrandam, grauius. Hoc legem eximie uocat λόγια τοῦ Θεοῦ, λόγους, νόμον, μαρτύριον, quae eo ualent, ut intelligas, non ex incerta hominum opinione natam, sed ab ipso Deo latam, sollemnissimoque ritu promulgatam, nec libris tantum inclusam, sed, ubicunque terrarum mortales sunt, diuulgatam, ac, instar pluuiae, humum foecundantis, in animos hominum, uelut subigendos, effusam, summique Numinis uoluntatem manifesto testatam, esse. Aduertisse et hic, mirifice iuuat, quam antiquum ac recens Instrumentum, rebus aequae, ac uerbis, amice conspirent, cum ea, quae nunc, ex sermone Spiritus S. Graeco, attulimus in medium, ad Hebraeum, tanquam fontes, non dubitanter respiciant, et, ex תורה, אמרה, ערה, commoda utilique illustrari explicatione possint. Haec

D 2

uero



uero non minus, quam alia, ut *ἐντολή, δικαιοσύνη, δικαίωμα, κέριμα, διαθήκη*; a septuaginta uiris sunt mutuo sumpta, quae Hebraeis, *מצוה, צוים, משפט, ברית*, pulcherrime respondent, ac, in eandem ferme sententiam, congruunt, lucemque inde accipiunt non omnino nullam, ut alias ostendemus. Ceterum, ex diligentiori Oraculorum usu et tractatione, constare debet, sanctissimos noui Foederis scriptores de abrogatione legis generatim loqui solere. Ne igitur, et cerimoniarum, et iudiciorum, et morum, praecepta institutaque diuina, Iudaeis tradita, eo referas, ac, cuncta prorsus antiquata, funditusque deleta, cum Antinomis, ex illa laxius dicendi consuetudine colligas, grauissimeque adeo erres, tenendum est necessario, Paulli, in primis de morali, ut usurpatur, lege, scribentis, stylum nunquam subiisse *τὰ λύνει, καταργεῖν, μετατίθεσθαι, παλαιῶσθαι, γηράσκειν, ἀφανίζειν*, sed de iudiciali, et ea, quae cerimonias docet, dissolutis penitus et extinctis. Illa uero, quae, in moribus nostris, ad Dei uoluntatem componendis, norma esse debet, tantum quidem est abrogata, quantum *κατὰρα, χειρὸν γραφον κατ' ἡμῶν, θάνατος, ἀμαρτία*, aut etiam *δικαιοσύνη* nostra, fuit dicta. Nos enim faciendi iustos aequae, ac sempiternis addicendi suppliciiis, perfectissimamque efflagitandi obedientiam, Christi interuentu, potestatem amisit. Videmus, quantum nobis subsidii, ad theologiam, sine corruptelis, sine tricis, sine errore, explicandam, *Φιλολογία* apporet. Intelligimus simul, non aliam uiam rationemque esse, aut definiendi legem, aut diuidendi, aut officium eius cognoscendi, quam, quae in uocabulis monstratur, quibus totam, quantacunque est, scientiam hanc reconditorem Spiritui S. inuoluere uisum est.

X Nunc



X

Nunc multo patentissimum profecto differendi campum aperit religionis nostrae emendationis caput de *Iustificazione*, quod, siue summam, siue arcem et propugnaculum, siue sacrorum columen puriorum, siue proram ac puppim, ut in prouerbio Graecorum est, aeternae salutis nostrae, siue piarum mentium portum atque perfugium, siue discrimen inter coetum sacrum atque profanum, siue fundamentum Dei recte colendi ac uenerandi, dixeris, minus dicis, quam pro tantae rei dignitate. Haec sanctioris fidei norma, a primorum statim parentum temporibus, per omnium seculorum memoriam, perditissima uitio rationis, fuit deprauata, identidemque tamen correctata, ab Abraamo praecipue ac Mose, qui populum Hebraeum, ad detestabiles Aegyptiorum ritus delapsus, saepius reuocauit, ac, mandato Dei, de uero legis usu admonuit, eique uenturum uatem maximum, et nouum, idemque salutare admodum, doctrinae genus, praedixit, et bona fide, minimeque fallenti, promisit. Nihilominus, in uindicando grauissimo ueri Dei cultus argumento, uiros se praestiterunt V. sacerdotes Testamenti, quibus perpetuo cum Iudaeis conflictandum erat, iisque, aut ceremoniis, a Mose institutis, aut nouis generibus colendi Numinis, a se excogitatis, nec unquam mandatis, aut legi morali, expiandi errata, Deumque placandi, ac iustitiam impertiendi, uim tribuentibus. Vbi uero diuini illi interpretes atque internuntii excefferunt e uita, et, post captiuitatem Babylo-



nicam, uaticinandi finis factus fuit, immensa mysterio huic offusa nox est, istaque tam obruta et oppressa, ut ne umbra quidem appareret. Replicantes memoriam N. Foederis, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essaeorum, ibi sectas inueniemus, quae, in Republica Iudaeorum, rerum sacrarum summa potitae, publice priuatimque, obsequium legis, per uim, extorquere uolebant, eique fieri satis, et posse, et oportere, contendebant. Omnium mentes pestilens haec opinio tum peruagata, tam altas egit radices, ut *euangelio*, id est, promissioni, de uita aeterna, per Christum factae, nihil loci relinqueretur. Quid, quaeso, causae est, cur in libris Maccabaeorum, Tobiae, Sapientiae, Siracidis, aliorumque, fallacis oppido autoritatis, aut nulla prorsus, aut leuiora, itemque corrupta, saluberri, maximeque necessarii, dogmatis uestigia extent? Sanctissimus Seruator noster, cum in terris uersaretur, satis negotii habuit cum Pharisaeis et Scribis, qui de factis suis, ab omni labe repurgatis, ac legi plane congruentibus, et, de innata, eaque perfecta, iuste recteque agendi facultate, insolenter gloriabantur, uiribus suis, uel ad maiora uirtutum officia facienda, ac, pro aliis etiam, praestanda, confisi. Nec uiris, ex Christi schola profectis, ab eodemque ad alios, sacris suis initiandos, delectis, ac, in cunctas orbis terrarum oras, dimissis, conuersiones, cum inimicis, defuerunt, qui philosophiam, maxime Platoniam, et legis ac *euangelii* praecepta, discordia, in concordiam redigere, componere ac una sede locare, studuerunt, unde quorumuis origo malorum merito accersitur. Post doctorum N. Instrumenti memoriam, quorum alii Christi

fti



fti aequales fuerunt, alii eius aetati suppare, hor-
 renda sententiarum monstra nata sunt ab Ebione,
 Cerintho, Simone Mago, Basilide, Gnosticis, Mani-
 chaeis, ut reliquos obliuiscamur, propemodum innu-
 merabiles, societatis, a uero Deo institutae, recteque
 hic sentientis, turbatores, homines profligatissimos
 perditissimosque, de quibus multa, nostri instituti mo-
 menta, Irenaeus, Tertullianus, Clemens, Eusebius,
 Epiphanius, memoriae fusius prodiderunt. Isti autem,
 nouas res, in praecipuo hoc sapientiae diuinae decre-
 to, moliti, partim conatibus suis pestiferis non minus
 Christi, quam *Apostolorum*, auctoritatem praetende-
 runt, quasi uero ii, uel praeceptis institutisque, uoce
 tantum traditis, nec in chartam relatis, uel scriptis, talia
 docuissent, quae tamen tum conficta, adulterina, sup-
 posita, tum impia, et Scripturae diuini sunt aduersa-
 ria, ac merito ab iis explosa, qui, interioris scientiae, a
 Paulo, Petro, et aliis, participes facti, uera a falsis distin-
 guere potuerunt. Nec Christianorum magistri, qui Pa-
 trum nomine celebrantur, sine casu et prolapsione hac
 sunt in causa uersati, cum disceptationibus, de aliis coe-
 lestis disciplinae momentis, occupati, si forte mate-
 riam theologiae, de *iustificatione*, attigerint, aut, dispu-
 tandi feruore, nimium abrepti, aut, supina quadam
 negligentia, abducti, longius deflexerint a ueritate.
 Inde factum est, ut nemo illorum reperiretur, qui
 non incommodis admodum, incautis, tralatis, ac nul-
 la ratione tolerandis, loquendi formulis, uelut limo lu-
 toque, purissimos salutaris huius doctrinae fontes
 inquinari. Vicem cum primis dolentis Irenaei, Ter-
 tulliani, Cypriani, Athanasii, Chrysofomi, quibus,
 nimium



nimum securis, minus circumspicis, et intempestiuo aduersariorum sibi conciliandorum studio, aliisque consiliis, ut ipsis falso uidebatur, maxime probabilibus, lapsis, grauissimi errores obrepserunt. Quos tamen, singulari Dei beneuolentia, plerique deposuerunt, postquam Nouatiani, hominibus, secundum lauacionem sacram, in Deum peccantibus, licet ipsos delictorum, ex Christianae religionis praescripto, poeniteret, condonationem facitorum denegantes, ciuitatis Dei Patres, tanquam stimulis, concitarunt, eoque permouerunt, ut locos de peccato, poenitentia, gratia, fide, erratorum uenia, accuratius considerarent, mentemque Spiritus S. in sacrarum monumentis literarum patefactam, penitus introspicerent, ad eamque normam et regulam alias, a se quondam inepte adhibitas, loquendi rationes emendarent, alias, in posterum adhibendas, conformarent. Ne quid de Pelagio dicam, qui, controuersis suis uel ipsa Reipublicae Christianae fundamenta conuellens, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, ad saniolem perduxit, mentem, ut suas ipsorum commentationes, quatenus a diuinorum integritate oraculorum discreparent, ipsimet detestarentur.

XI

Quod si ad recentiora ueniamus tempora, quae Lutheri memoriam antecesserunt, quoquo uersum te uertas, in quascunq; terrarum oras, qua Christi nomen patet, oculos conicias, id, de quo, ex instituto, adhuc diximus, teterrimis sepultum tenebris, penitusque, ab horrenda superiorum seculorum barbarie, extin-



extinctum deprehendes. Toto corpore quis contremiscat, si tempus illud cogitet, quo, uel summis rerum diuinarum humanarumque magistris, nihil quicquam de *iustificatione*, ne per somnium quidem, in mentem uenit, et, si uenerit, pro monstro fuit habitum atque portento. Bone Deus, quam impie, quam absurde, quam inscite, hac de re, illustre illud Pontificiorum lumen, Thomas, philosophatur. Ceterum, nihil de Christo, eiusque beneficiis, fando tum audiebatur, omnia nundinationibus *missarum* et *indulgentiarum*, uti uocantur, plena erant, omnia supplicationibus atque deprecationibus sanctorum superstiosis, omnia uanissima meritorum uenditione ac ostentatione, omnia spinosissimis, de satisfactione, disputationibus, personabant. Harum uero contentionum, dissensionum, perniciosarum explicationum, causam si requiras, non omnino alia est, quam incredibilis literarum, nominatim linguarum, ignoratio. Tanta profecto quondam fuit, tamque horribilis, ut uel primorum notitia elementorum Graecorum alicui opinionem pestiferi hominis, capitali supplicio digni, potuerit conflare. Ostendemus itaque, totam ueri dogmatis intelligentiam ex uerborum, quibus utitur Spiritus S., inuestigatione, eaque subtili plane et exquisita, pendere. Quamobrem, ante omnia, uim Graecae uocis, *δικαιοσύνη*, perpendere debemus, cuius multae quidem extant declarationes, primae tamen propriaeque domicilium in foro, eandemque adeo forenses, esse, ipsius origo confirmat. Haec enim, mirifico, et sacrorum, et profanorum, consensu, in iudicio potissimum quaerenda pariter, ac inuenienda, estque

E

uoca.



uocabulum *δίκη*, quod reliquorum, quotquot inde, creantur, exempli gratia, τῶν, δίκαιος, δικαιοσύνη, δικαίωμα, δικαίωσις, fundamentum principiumque existit, siue ortum spectes, siue sententiam. Nec errabimus, si dicamus, uoces ex se ortis primam ita suam imprimere significationem, ut, quamuis haec, miris saepe modis, immutetur, retineat tamen ubique uim suam naturalem, semperque stirpem respiciat, et ex ea fit enodanda. Tanto autem id libentius affirmamus, quanto magis, et I. Guffetium, iam supra, non sine laude, nominatum, in *Comment. H. L.*, et ipsum usum, suffragatorem habemus, τὴν δίκην, id est, ius, iustitiam, notionem iudicialem, per uniuersa sui generis uerba ac dictiones, diffundere et propagare. τὸ δικαιοῦν igitur, quantum ex Lyfia, Thucydide, Plutarcho, Appiano, Sophocle, aliis, constat, Graece duo exprimit, τὸ κολάζειν, καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν, ut Suidae ore loquamur, Latine, *supplicio afficere, et iustum censere, siue pronuntiare*, quorum alterum bonis scriptoribus tritissimum est, et extra omnem positum disceptationem, alterum uero dicendi genus a Gatakero, *dissert. de N. T. stylo*, non de homine, sed tantum de re, ratione minus idonea, exponitur, quasi uero hoc proprium perpetuumque Graecis foret, quod nec ipse Chemnitius improbat, de causis, uel negotiis duntaxat, illud explicans, cum homo etiam, apud Aeschylum, *Agamemn. v. 401, δικαιοθεὶς*, id est, rectus probusque inuentus, declaratus et absolutus, dicatur, idque exempli, quamuis a poeta subministratur, ad declarandam Spiritus S. mentem pollet, et, exquisitissima ueteres imitandi arte, huc transfertur. Vt, pari adeo modo, lingua N. F. arbitrioque

que



que diui Paulli, is numeretur *δικαιωθεὶς*, qui, ab acer-
 rimo delictorum iudice, Deo, in ius uocatus, depre-
 catore Filio, eiusque salutaris meriti causa, absolu-
 tus iustusque, sententia, tanquam de tribunali, pro-
 nuntiata, est reputatus. Mirari libet, quantum lauda-
 tus saepe Paullus uocabuli huius forensis consuetudi-
 ne delectetur, quamque acute arguteque cuncta,
iustificationis momenta, ad perfectam iudicii formam
 perpendat et accommodet, ac, in epistola ad Roma-
 nos, sigillatim capite tertio, reum, *πάντα τὸν κόσμον ὑ-*
πόδικον τῷ Θεῷ, crimen, *ἀμαρτίαν*, accusatorem, *τὸν νό-*
μον, iudicem, *τὸν Θεὸν*, aduocatum et patronum, *τὸν Ἰη-*
σοῦν Χριστὸν, *λυτρωτὴν*, aut, *ἀπολύτρωσιν ἐν Χριστῷ*, aut, *ἰλασθή-*
ριον, conscientiam, *τὴν μάρτυρα*, II, 15, tribunal, *τὸ βῆμα*
 XIV, 10, nominet, ut plures iureconsultorum ritus
 noraeque damnandi, absoluendi, reconciliandi, re-
 dimendi, pariter cum formulis gratiae, misericor-
 diae, ceteris, omittantur. Quam explanandi rationem,
 prorsus egregiam, immo praestantissimam, scripto-
 rum recentis Instrumenti facile princeps propriam sibi
 facit, nec communem habet cum Petro et Ioanne, qui,
 appellatione illa forensi, uolentes scientesque, consilio
 tamen nobis haud satis cognito, abstinuisse, uidentur,
 notiore, et ad uulgi captum accommodatiore, contenti
 locutione. Pontificiorum nunc parum per inepti-
 as uideamus, quarum praesidia nihilo minus in no-
 minis notatione constituunt, qua tota res penditur.
 Compositionis uim ualde urgent, ac *iustificandi* notio-
 nem primam et natiuam idem ualere, ac *iustum facere*,
 contendunt, tanta, tamque mirabili, hominis mutatio-
 ne, ut ex iniusto fiat iustus, atque adeo, euulsa ra-
 dicitus



dicitur iniustitia, iustitia, naturali quadam ratione, in animum inducatur similiter, ac aqua calida redditur frigida, aut frigida cum calida commutatur. Has nugas, maximo conatu, defendunt, et, pro ipsis, tanquam pro aris et focis, pugnantes, impudenter iis diuinam arrogare student autoritatem, quatenus haec Latina constat interpretatione, quam, Hieronymo ascriptam, Graecis literarum monumentis longissime anteposuit, et, ut regulam ac normam comprobandae fidei, execratione publica fanciuit, concilium Tridentinum. Hanc, propter reliquias Italicae ueteris, ueneramur quidem merito, sed, hic alibique, uitiosissimam deprehendimus, eamque, ab fontibus remotissimam, non magis, quam incultos scholae Christianae doctores, attendimus, qui, contra uocis Graecae naturam, et Latinae usum elegantiozem, *iustificare* pro eo, ac iustitiae habitu quem imbuere, barbara quodam imitandi studio, similiter, ac *mortificare*, *uiuificare*, *sanctificare*, usurparunt. Ad summam, certum exploratumque habemus, ac, sine ulla dubitatione, asseueramus, τὸ δικαιοῦν nusquam aliter, quam nos supra praecepimus, memoriae proditum esse.

XII

Arduae huius tractationis fundamentum nunc in *Fide* ponendum est, quae aequae, ac δικαιοῦν, ad forum proprie pertinet, notitiamque, animo insitam, et uoluntatis assensu confirmatam, uehementi praesertim appetitione boni, eiusque ad se, cum fiducia, accommodatione, perfectam absolutamque, indicat, quae, singula, latius diffusa, angustiore τὸν *credere* ambitu ualde coarctat V. T., et cum *confidere* saepe coniungit, ut



ut $\eta\sigma\eta$ et $\eta\sigma\zeta$ unam eandemque habeant sententiam. Ne uero putes, fidem, pro fiducia, Graeciae inauditam esse, uulgaris eius loquendi ratio exempla suppeditat innumerabilia, quibus τὸ πιστεύειν magnae fiduciae uim continet atque declarat. Haec haud secus, ac princeps *fidei*, ut theologi loquuntur, *iustificantis* pars, exquisitissimis iuxta, atque grauissimis, illustratur, non minus, quam exaggeratur, uocabulis, cum, alias, ὑπόστασις, alias, πληροφορία, alias, παρρησία, alias, πεποιθήσις, alias, ἔλεγχος, appelletur, quae tanti sunt ponderis, ut firmam inde animi sententiam conficiamus, quae labefactari nullo modo, aut loco, certoque suo statu, dimoueri, potest, sed quibusuis dubitationibus resistit, nihilque metuit, et in sanctissimo amplectendi Christi proposito fortissime perseverat. Cum his alia, quibus exploratam confidentemque, spem, praecipuum illius adminiculum, Spiritus S. exprimere cupit, ueluti, θαρσεῖν, item, τηρεῖν, conueniunt. Nihilominus diuina mens ex iis patet, quae fiduciae ab eodem opposita leguntur, censenturque talia, διακρίνεισθαι, διστάζειν, μετρωρεῖσθαι, et animum haesitantem, huc illuc uagantem ac fluctuantem, produnt. Cum igitur, ut paullo ante diximus, fidei nostrae summa in apprehensione iuxta, ac applicatione, gratiae, a Deo nobis gratis promissae, propter Christum, deprecatores, uertatur, non temere a uatibus N. Testam., Ioanne figillatim ac Paulo, τὰ λαμβάνειν, καὶ λαμβάνειν, παραλαμβάνειν, frequentata esse, credas, quae quippe toties exprompserunt, quoties singulare maximae illius rei momentum uno uerbo significantius explanare uoluerunt. Nam παραλαμβάνειν Graecis idem est, ac

ἵνα

E 3

Lati-



Latinis, per manus traditum accipere, siue, oblatum ad se recipere, ut Budaeus, uestigiis Demosthenis, facit planum.

XIII

Quandoquidem uero, in definitione *fidei*, *gratiae* fit mentio, ἡ χάρις paullo subtilius excutienda est, quae, si, ut nullius ponderis, negligatur, grauissimorum ansam errorum praebet, et, tum a Pelagianis, tum Pontificiis, ad uim aliquam pure sancteque faciendi, perditissimae hominis naturae temere uindictandam, trahitur deprauate. Mirum dictu, quanta specie sententiam exornent illi suam, eamque, ex communi Graecae linguae usu perinde, ac Scripturae diuini sermonis, defendant. Non enim ignoramus, τὴν χάριν, et τὴν δωρεάν, et ἀντίχάριν, id est, tam donum, gratiam, quam remunerationem, ut Sophocles nos docet, continere, illamque praesertim tale quid designare, quod rem commendat, id est gratiam acceptamque faciat, unde orationis formulae, λόγων χάρις, τῆς ἀρετῆς χάρις, et id genus aliae, existunt. Vt ipsius descriptiones, a Grammaticis passim Graecis traditas, silentio transeamus, quae explanationi quidem, paulo ante factae, et scriptorum auctoritati, a Suida et Varino exemplis comprobatae, prorsus consentaneae sunt, instituto tamen nostro repugnant magnopere, aduersariisque uelificuntur, utpote quae iis rebus, quibus uox χάρις tribuitur, tantam uim, siue naturaliter insitam, siue aliunde acceptam, assignant, ut, beneuolentiam, alicuius ad se allicere, gratiamque inire, promereri, et, ut uerbo rem exprimamus, placere, queant. Eiusdem

dem interdum sententiae est *χαρίζομαι*, quippe quod, non donandi tantum ac gratificandi, sed et conciliandi, gratiam, notione praeditum refert autor non spernendus, Thomas Magister. Quamuis adeo haec causae nostrae uehementer officere, sanioraque, de *iustificatione*, praecepta refellere, ac funditus euertere, uideantur, tamen nondum de omnibus praesidiis deiecti sumus, sed in Demosthene, Plutarcho, aliis, eam reperit Chemnitius *χαρίτος* significationem, quae argumentum hoc egregie illustrat, ac expositioni sinceræ mirifice respondet. Pariter, apud Latinos, gratia, aut Germanos, *Gnade*, idem, ac beneuolentia, potest, occasionemque loquendi dat, *gratiam consequi, conciliare, retinere, in gratiam recipere, redire, reducere, cetera*, ab hoc loco non prorsus quidem aliena, et apta accommodatione utilia, leuioris tamen momenti, nec digne satis Dei, sceleribus uehementer offensi, bonitatem, nullo profligatissimi hominis officio prouocatam, experimentia. Multo grauius est Hebraeorum *רחם*, quod septuaginta aequae, ac Latini, interpretes plerunque, *misereri, uel, parcere*, concinne reddiderunt, cum gratiam, uerbum indicet, cum misericordia coniunctam, tanquam causam *προηγούμενην*. Quod si adeo rem hic ad uiuum refecimus, ingenue fatendum est, Spiritum S. uocabuli illius uim, singulari prorsus consilio, per DEI misericordiam, quae in delictorum condonatione potissimum cernitur, enuntiare uoluisse. Haec dicendi forma in sacrarum monumentis literarum latissime manat ac dominatur, et ex creberrima τοῦ *χαρίζεσθαι* usurpatione clarius elucet, quod, gratiam errorum facere, ueniam dare, condonare, donare, uerti-

uerti-



uertitur Latine. Praeterea Graecum hoc comparatur scite cum Latino, dare donum, quod a prima nominis expositione, ut effectus a causa, differt. Sane duo ista momenta, quibus *φράσεως* huius ratio metienda, caute, conuenit, distingui, ne diuersissima fidei nostrae sanctioris capita, nimirum *iustificatio* et *renouatio*, ut theologorum lingua utamur, confundantur temere atque permisceantur. Vnde pestis perniciesque salutaris doctrinae solet oriri. Quanquam enim, erratorum ueniam munera Spiritus S., animos repurgantis a uitiorum sordibus, seu, renouantis, proxime consequuntur, haecque cum illa arctissime colligata sunt, ac utrumque significandi genus, gratia et donum, uni *χάρις* uoci subiicitur, haec ipsa uero in epistola, ad Romanos missa, cum *τοῖς δώρημα, δωρεὰ, χάρισμα*, exaequatur, melioris tamen institutionis, ac euitandae perturbationis, causa, seorsim distincteque considerata sunt, et, ad neruos controuersiarum elidendos omnes, acutius discernenda. Ex his, quae haecenus dicta sunt, satis intelligitur, hominem fieri debere iustum, id est, data noxis uenia, innocentem declarari et absolui, gratia, siue, beneuolentia, Dei, idque gratis, quemadmodum a Paulo dicimur *δικαιώμενοι δωρεὰν τῆ ἀυτοῦ Θεοῦ χάριτι*, Rom. III, 24. Animaduertamus, necesse est, effato hoc quot uerba, tot pondera, concludi, ac, ueluti per gradus, ad summa procedi. Non satis habet admonere, nos perinde, ut in foro reos, lata iudicis Dei sententia, iustos, remittendis peccatis, fieri, sed addit, gratis, exclusa quauis causa merente, quod nec dum ipsi sufficit, nisi praeterea adiecerit, tanquam fastigium huius rei,

gratiam

gratiam Numinis, quae alioquin etiam, tanquam fundamentum, salutem nostram sustentat.

XIV

Iusto itaque ordine ad explicationem τοῦ δωρεάν, quod uerbis adiici solet, prouehimur. Tenendum uero in praesens est, si Graecam Latinamque excusseris linguas, parem huic non inueniri uocis grauitatem. Atqui mirum, Graeciae pariter, ac Latio ueteri, ne minimum quidem suppetere, quo mysterium hoc uel tangerent, cum tamen notitia Dei, S. Triados, procreationis, peccati, liberi arbitrii, reditus in uitam, ultimi iudicii, cetera, homines non fugerit omnino. uid. Tob. Pfanneri *theol. gentil.* Quotiescunque igitur apud Isocratem, Demosthenem, Plutarchum, alios, δωρεάν occurrit, toties idem declarat, quod gratis, gratuito, sine pretio praemioque. Quae quidem notio, in Voluminibus sacris, peruagata est, non tamen ita astricta, quin modo laxiori capiatur. Praeter ea enim uis eius ibi intenditur, ac perinde sibi uult, ut sine iusta causa ac temere, sineque merito, siue in bonam, siue in malam, partem accepto. Nimirum ita, pro re nata, septuaginta uiri Hebraei, Codicis כּוּנָה, beneficio, τοῦ δωρεάν, Graece explanarunt. Sic recte euadimus iusti, nulla prorsus nostra uirtute, sola bonitate diuina, quippe quae, in nobis, ne leuissimam quidem tenuissimamque mouendi sui causam inuenit. Huius aduerbii acuta explicatio cum innumerabilibus, et V., et N.T., locis adiuuentum affert, tum maxime *iustificationis* caput planum facit et perspicuum, cumque ei singulare momentum, a Spiritu S. insitum sit, aliunde, nisi ex Scriptura diuiniore, non depromitur.

F

XV Tam-



XV

Tametsi, ad reprimendam recte factorum arrogantiam, sufficere poterat Paulo, dixisse, nos gratia Dei iustos fieri, gratis tamen adiungens, c. IV epistolae, facpius appellatae, rem, triplici loquendi ratione, ante oculos proponit, ac modo, ἐλογίσθη αὐτῶ (Ἀβραάμ) εἰς δικαιοσύνην, comm. 3, modo, λογίσθη κατὰ χάριν, comm. 4, modo, λογίσθη (Θεός) δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, comm. 6, creberrimo τοῦ λογίσθαι, undecies obuersantis, usu, scripsit, cui Latinorum quadrat uerbum *imputare*. Difficilius est intellectu, nisi uis eius exquiratur, quam uulgus doctorum, cum magno discipulorum incommodo, negligit, de peruulgatis, iisque obscuris, dictata sua decantare, satis habens. Scire igitur hic refert, id uocabulum sedem habere in arithmetica, et significatione uariare, primumque idem esse, ac ratiocinari, rationes putare, supputare, deinde, tantundem ualere, quantum ascribere aliquid in rationibus ac ponere, quo, subductis calculis, res ad liquidum perducatur. Huc id Senecae pertinet, *hoc non imputo in solutum, de tuo tibi, ep. VIII*, dicere uolentis, non repraesento, ut meum, quod soluere tibi debeo, sed ut tuum. In quibus tribuendi et assignandi simul potestas subest, quam Germani lingua sua exprimunt, *Zurechnen, Zuschreiben*. Vox quidem, fatemur, recentior esse uidetur, certe decus aurei, ut uocatur, seculi non tuetur, eoque nomine, haud iniuria, a Scioppio, in Famiano Strada, reprehenditur, ac, unius Ouidii exemplo, a Borrichio, Cellario, aliis, uix defendi satis potest. Nihilominus defuerunt, quibus idem praeclare significarent, exempli



pli ergo, *attribuere, assignare, adiudicare, culpam aut causam alicuius rei in aliquem conicere, conferre, cetera.* His argenteum aeuum, in eoque Tacitus, Plinius, Petronius, reliqui, uocabulum, *imputare, adiecisse, existimantur, certe, una cum Suetonio, Iuuenali, Quintiliano, inauditam, ante id tempus, ac nouam, protulisse notionem, quae a formula, in beneficio numerare, quicquid alteri gratum feceris, nihil differt, ab elegantiae autem purioris, minusque fucatae, studiosis merito aliis, incorrupta antiquitate praestantibus, longissime posthabetur.* Icti prisci hac ipsa delectantur, qui, sine bona arte, ac sine humanitate literarum, intelligi nullo pacto possunt. Idcirco facile iudicari potest, ad talia dictionis momenta peruestiganda ingenio opus esse, in his studiorum exquisitorum rationibus exercitatissimo. Quae uero adhuc differuimus, uniuersa ad non uulgarem τοῦ ἔλλογῆν ac λογίζεσθαι intelligentiam collata uolumus, cuius quippe sententia cum Latina illa uoce amicissime in iis conspirat, quae ad rem nostram pertinent. Plura, quae in alia quadam, *reputare, insunt, sponte, hic obliuiscemur.* *Glossae selectissimae ita commentantur, λογίζομαι, ἐπὶ λογοθεσίῳ, imputo, ἐνθυμοῦμαι, cogito, in eo consilium, animaduerto, reor, ὑπολαμβάνω, opinor, arbitror.* A Graeco Hebraeum דָּשַׁן ne minimum quidem recedit, hocque latissime euagatur, et, quod scire nostra maxime interest, potissimum in imputantis, remque aliter, ac est, habentis, iudicio consistit, id quod mox exemplis, quorum alioqui numerus iniri haud potest, patebit. Non minus autem forense est, quam superiora, et optime diiudicatur,



tur, si ad tria animum attendamus. Primum enim *imputationis*, theologiae uocis, fundamentum in recuperata, per Iesum Christum, nobis salute sempiterna, siue redemptione mortalium saluari, iaciat, iacto hoc, deinde, sese ad Numinis gratiam et misericordiam refert, ac eam semper defixus intueatur, homo pius, denique, annuntiatam a uatibus et patefactam beneuolentiam Dei, iustitiam Christi imputantis, id est, adiudicantis, flagranti animi fiducia, amplectatur, eamque ad se, tanquam illius terminum, accommodet ac conuertat. Haec, profecto, sunt tenacissimo copulatum uinculo, ut nulla aduersariorum ui diuelli queant, et in accuratissima uerborum Spiritus S. enarratione, tanquam firmissimo causae nostrae praesidio, innituntur. His armis Pontificiorum robora argumentorum, facili negotio, profligabimus, ac cauillationes eludemus, quibus, adhibitis uelut machinis omnibus, ueram uocabuli $\kappa\omega\pi\eta$, et $\lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$, enodationem oppugnant pariter, atque perstringunt, *imputationis* fundamentum in homine quaerendum, cui aliquid, Deo gratum acceptumque, inhaeret, hocque illam elicere et prouocare, peruincere studentes. Verum, si ea, quae supra admonuimus, obiiciuntur, stupent. Leuia enim ipsorum momenta ac nugatoria non aegre refutantur, praesertim, ubi ostenderis, comma 4 C. IV Rom., $\tau\omega\ \delta\epsilon\ \epsilon\rho\gamma\alpha\zeta\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\ \delta\ \mu\iota\sigma\theta\acute{\omicron}\varsigma\ \omicron\upsilon\ \lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\iota\alpha\iota\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$, $\alpha\lambda\lambda\grave{\alpha}\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \tau\omicron\ \omicron\phi\epsilon\iota\lambda\eta\mu\alpha$, non modo huc non omnino spectare, sed discrimen etiam nos docere $\tau\omicron\upsilon\tau\omega\ \lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\sigma\theta\alpha\iota\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$, $\kappa\alpha\iota\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \tau\omicron\ \omicron\phi\epsilon\iota\lambda\eta\mu\alpha$, quae directo sibi opponuntur. Vrgent hic uehementer fidem, actionibus uirtutum plenis, con-

fir.

firmatam, eamque tanti a Deo fieri, pugnant, ut is illam pro iustitia, legi faciente satis, habeat, eaque se placari atque reconciliari, patiat. Nulla uero haec est, ac nihili facienda, quippe imperfecta prorsus, uitiisque sordida, nisi quis, spreta sua, Christi arripiat, teneat, possideatque ac propriam sibi faciat, et, in ea, Dei gratiam summa religione exosculetur. Sic fides, Rom. IV, semel iterumque, recte dicitur λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην, id est, in rationibus iustitiae, quam lex atrox exigit, ascribi, tribui et assignari, non secus, ac suam cuiusque iustitiam, eaque iustum reputari a iudice atque citari, non uirtute quadam insita, et promerito aliquo, intrinsecus extante, sed extrinsecus accedente, et ab ipso Christo in nos redundante, quod, fidei instrumento, apprehendimus, et, ut a nobis profectum, Deo offerimus, fructusque adeo omnes acerbissimae perpeffionis nos soli percipimus, ita tamen, ut fides, non pro ui aliqua et facultate efficiente, aut merente, in nobis sita, sed solum pro ὀργάνῳ, manus instar, stipem recipientis, habeatur, et tantum aestimetur, quantum Seruatorem, Deumque misericordem, stabili fiducia complectitur, illique, ob applicationis officium, id tribuatur, quod tantummodo cadit in meritum Christi, ac gratiae diuini proprie debetur.

XVI

Ad caput de *S. Coena* properamus, cui dissentientes tantam obducunt caliginem, ut, sine φιλολογίας lumine, perinde, ut caecus, offendas ubique et praecipuas, oporteat. Veteres mysterii huius corruptores, quos in *catalogo haereticorum* Philastrius, E-



piphanius, Augustinus, percensent, ab inferis hic non
 excitabimus, nec opinionum portenta, aeternis du-
 dum sepulta tenebris, in lucem reuocabimus. Ana-
 baptistarum etiam ineptias non magis, quam Pon-
 tificiorum *μετουσίαν* et *ἀρχολατρείαν*, mittemus. Res
 nobis erit cum Caluini Socinique discipulis, qui uer-
 ba testamenti Iesu Christi *τρόποις* immutant, et, callida
 interpretatione, miserandum in modum, peruertunt,
 natiua orationis uis sublata, quae facis instar foret, mira
 commentationum pugna, ex una eademque uoce, uel-
 ut, *ἐστὶ*, Vlric. Zvvinglius *μεταφορὰν*, Rodolph. Goclenius
ἐναλλαγὴν γραμματικὴν, Amand. Polanus *μετωνυμίαν*, co-
 gere ausi. Pari temeritate τὸ σῶμα, *μετωνυμικῶς*, pro
 signo ac figura corporis, Calvinus, Oecolampadius,
 Marpurgenses Theologi, alii, *συνεκδοχικῶς*, pro toto ho-
 mine, Christo, Cassellani, Petrus uero Ramus *μετα-*
φορικῶς, exponunt similiter, ac, in τῷ φαγεῖν ac πίνειν, *cre-*
dendi uim obtrudunt, et tralata *ποτηρίου* explicatione
 triumphant, ac τὴν διαθήκην, et item, τὸ ἐκχυνόμενον, e natu-
 rali sua sede in alienam detrudunt, eo partim ineptia-
 rum progressi, ut, quemadmodum Kekermannus et
 Combachius docuerunt, non tam singulis uerbis,
 quam continentibus, totoque enuntiato, *τρόπον*, in-
 solentem prorsus, concluderent. Ex quibus satis, opi-
 namur, constabit, in obscuranda N. Instrumenti lo-
 cutione omnem ingenii uim consumere aduersarios,
 et, offundendi tenebras causa, adiumenta, ex Gram-
 matica, Rhetorica, Logica, rapere eo ac pertrahere,
 sed, inuita Miuerua, irritoque conatu, quod lux illius, sole
 meridiano clarior, ubique emergit, oculosque ferit. Ita
 enim natura, et foederis, et testamenti, comparatum
 est,

est ut perspicua, euidenti ac, quoad fieri potest, im-
 mutationis prorsus experte, constare dicendi specie
 debeant, ne, ex ambiguitate, lites creentur. Ec-
 quem, nisi rerum uel notissimarum sit ignarus, fu-
 git, minutissima quaeque, in tali instituto, ponderari,
 limari, summoque studio ea deligi, quae, manife-
 sta, dubitandi materiem praecidunt omnem. Ictorum
 praeceptiones, a nobis non diuersae, in uulgus no-
 tae sunt, quibus monstro similior est testamenti obscuri-
 ratio, ac nomine suo prorsus indigna. Illius sane con-
 ditor foret abominandus, si, e uita discedens, animi
 sui sensa, a quibus ne latum quidem unguem rece-
 dere fas sit heredibus, multis uerborum tricis inuol-
 ueret, libidinique exponeret calumniatorum, ut ue-
 ra sententia ex Apolline demum esset discenda. Per-
 frictae frontis, immo, mortalium profligatissimus sit et
 nequissimus, qui, cum in uirum bonum suspicionem
 fraudis cadere, nolit, Iesum tamen Christum, morti cru-
 delissimae iam iam uicinum, et, in extremo uitae, aet-
 ternam uniuersi hominum generis salutem medita-
 tum, miseris hominibus, certiores fieri uoluntatis e-
 ius ultimae cupientibus, ambiguitate sermonis, illu-
 dere uoluisse, persuadere nitatur. Ne dixisse tantum ui-
 deamur, dictis, munere *Φιλολογίας*, fidem faciemus,
 confirmaturi, natiua, atque adeo non commutata et
 inflexa, maximeque luculenta, dictione, testamen-
 tum esse compositum, non tamen minute singula con-
 sectaturi, ne operam perdamus. Eccui Latinorum
 Graecorumue, de τῷ ἐπιτρόπῳ unquam, uel per so-
 mnium, in mentem uenit? Eiusdem in reliquis,
 supra a nobis commemoratis, ne uestigium qui-
 dem



dem extat. Quid, quaesumus, causae est, cur in τοῖς, σῶμα, αἷμα, φάγειν, πίνειν, διαθήκης, ἐκχυνόμενον, ceteris, comminiscamur aut μετῶνυμίαν, aut μετῶφορᾶν, ab qua tamen, tanquam calamistris inusta, pictaque et infucata, dictione simplicissima ipsorum natura hic abhorret? Quare sententiam, ex uocibus planissimis contextam, eamque cuius statim, per se, obuiam et expositam, nescio quo, detorqueamus, et enixissime tenebris obtegamus? Qui ipsi τέρον architecti inter se digladiantur, quos, et quo in loco, ponant, tamque sibimet ipsi aduersantur, ut, modo negantes, modo aientes, non sine casu et prolapsione, uagentur. At enim, inquit, pugna corporis Christi, nostro et similis, et dissimilis, uitari alio modo non potest. Sed mirum uidetur, ne unum quidem historicorum Iesu Christi uerbum saltem, ea de re, fecisse, ac in tanti negotio momenti, uel minimum, de explicando secus, ac scriptum est, sacro hoc contextu, admonuisse. Diuus certe Paullus, ab ipso Dei Filio, de *S. Coena*, in coelis, perfecte eruditus, ut ex 1 Cor. XI, 23, ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, intelligitur, et certaminibus, iam tum rempublicam Christi perturbantibus, et, in posterum, uehementius perturbaturis, qua erat diuinatione et solitudine, facile potuisset occurrere uoluisseque, si quidem alia habiti sermonis explanatione opus fuisset, ac legitur Matth. XXVI, ubi sedes est mysterii huius, propriumque domicilium, unde Marcus, fidelissimus alioqui Matthaei imitator, integram historiam, totidem uerbis, transscripsit, cap. XIV, propterea, quod hic, non fando accepit, sed, in coenaculo, oculis suis omnia uisa, auribusque suis percepta, memo-

msb

memo-



memoriae mandauit. Is ipse, non tralate et obscure, cum, Philosophi iudicio, *πᾶν τὸ κατὰ μετὰφορὰν ἀσαφές*, actionum Christi, tum coenantis, momenta percenset, ac quamuis, prima narrationis parte, breuior, *τοῦ σώματος*, uocabuli ancipitis, et, cum gentis, Deo sacrae, Eph. I, 23, tum repraesentationis adumbratae rei, Col. II, 17, notione, profanis plane ignota, ualentis, mentionem faciat, in altero tamen sacramenti membro plenior, perspicuam dictionis naturam, tantopere probat, ut mente captus sit, qui minus agnoscat. Non solum enim dicitur, ut aliquanto ante, concisus, *τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου*, sed additur etiam, *τὸ τῆς καινῆς διαθήκης*, idque a Matthaeo et Marco, quorum alter ipsius Iesu orationem religiose expressit, uoces uelut annumerans, alter, ex hoc, sine, uel syllabae unius mutatione, repetiuit. Contra ea, Lucas et Paullus, ut, in consignando literis utroque enuntiato, uniuersam mysterii uim complexo, cum illis amicissime conspirant, unoque ore, ac una mente, illustri diuinae prouidentiae documento, in duplicis effati firmamentum consentiunt, ita in reliquis a se aliquantulum diuersi, diuino illustrandi dubia consilio, adiiciunt, *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον*, item, *κλώμενον*, nec *τὴν διαθήκην* perinde, ut illi, inflectunt, gignendi efferentes casu, sed recto continuant sermonem, *τοῦτο τὸ ποιήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου*, Luc. XXII, 20, 1 Cor. XI, 25. *τοῦτο* hic demonstrandi potissimum partes sustinet, recteque cum *ἦν*, ecce, comparatur, Hebr. IX, 20, ac ipsius uis, tum ad *τὸν ἄρτον*, tum ad *τὸ σῶμα*, arctissimo tenacissimoque *κοινωνίας*, in coniunctione duorum consistentis, uinculo copulata, 1. Cor. X, 16, permanat, et, admirando

G do



do codicum, manu exaratorum. quos Io. Millius, in splendidissimo uolumine suo, meminit, consensu, non sine Numinis cura, inter tot corruptelas, tantum oraculi momentum praestantis factum tectum, se tuetur, ac, sententiae Christi conuenienter, particulis orationis, *in, cum, sub,* locupletissimo cunctae, et eius piaae eruditaeque, antiquitatis testimonio, explicatur. Quamuis autem dispar, maximeque seiunctum, utriusque incisi, se, sine intermedio, excipientis, genus, alterum nempe uirile, alterum neutrum, iniicere, scrupulum, nec magis τοῦτο, τῷ ἀεῖω, proxime antecedenti, quam, casui dandi, τῷ αἰμαῖ, nominandi, τὸ ἐκχυνόμενον, apud Lucam, congruere, uideatur, nodus tamen, cetera difficillimus, expediri commode, potest. Graecos perquiramus, quibus *pronominis,* tum ad nomen prius sese referentis, tum id ipsum demonstrantis, a genere uocis, sibi subiunctae, discrepantia, nullo, aut *Hebraismi,* aut *soloecismi,* uitio, peruulgata est, nec Latinis noua et inaudita. Sophoclis locus, *Trachin. u. 684,* huc tam egregie, quam quid maxime, quadrat,

ὦ γὰρ τὸν ἐνδύηρα πέπλον ἀεῖως
ἔχρειον, ἀεγῆτ' οἶος εὐείρω πόκω
τοῦτ' ἠφάνισαι. κ. τ. λ.

ubi cum πόκω τοῦτο coniungendum est. compon. A & VIII, 26. τὸ ἐκχυνόμενον uero, aut τὸ ποῆριον, sicque, facillimo negotio, tolleretur difficultas, aut τὸ, ἐν τῷ αἰμαῖ, respicit, uestigiis uulgati, Syri atque Arabis, sicque contrarium quidem συνἄξει foret uulgari, non tamen continuo, ad Basilii, Magni, scripturam τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένω, emendandum, cum innumerabilia talia compositionis ac structurae, a praeeptionibus Grammati-

maticorum remotioris, immo, cum iisdem pugnantis, exempla legantur, quae, magis doctrinae, quam imitationis, causa, decet obseruari. Ecquis constructionem Marci XII, 38, 40, ἀπὸ τῶν γραμματέων οἱ καλεσθήσονται, καὶ προσευχόμενοι, Act. XV, 22, 23, ἐκλεξαμένους γραψάνας, Act. XXVI, 2, 3, ἐπὶ σοῦ μάλιστα γνώσῃν ὅσα σε, I Cor. X, 16, τὸν ἄρτον οὐχὶ κοινωνία ἐστὶ, 2. Cor. IX, 10, 11, 13, ἡμῶν, πλουσιζόμενοι δοξάζουσις, 2. Petr. III, 1, ἐπιστολὴν, ἐν αἷς, et alia consimilia, primo aspectu, in sermonis Graeci corruptelis, nomine σολοικισμοῦ fugiendis, non numeret? Balth. tamen Stolbergius, V. C. *in exercit. G. L.* a sordibus illam uindicauit, et elegantissimis scribendi magistris consentaneam, scienter ostendit. In his latissime patet ἐναλλαγὴ, quae, etsi, in Homero, Euripide, Sophocle, λογογράφους item, mirae uerborum collocationis causa est, ac, quod dissertationem nostram propius attingit, speciatim, *pronomen* saepe, ut a technicis uocatur, *demonstratiuum*, pro *relatiuo*, praesens tempus, pro futuro, adhiberi patitur, nec consequentia et antecedentia, apto ac naturali orationis uinculo, deuincit, ut interdum hiare uideatur, huius tamen proprietati nihil detrahit, nec magis perspicuitatem impedit, quam reliquae sermonis formae, seu σχήματα, a Grammaticis proposita, aut illa Lutheri et Brentii συνεκδοχὴ γραμματικὴ, quae, non mutatis uerbis, rem expromit, ac, propter complexum duorum praesentium, alterum de altero, tanquam partem, de parte, aut toto, edisserit. Eandemque ob causam ὑπαλλαγὴ, Spiritus S. et hominum scriptis peraeque celebratissima, nullo plane obscuritatis uitio corrupta, Martino nostro, t. III. *Ienens. German.* ad Matthaeum et Lucam, a se aliquantulum di-



uerfos, amice coniungendos, maxime idonea, assentiente Chemnitio, probatur, et Theod. Haks Spanio, *not. philolog. h. l.* prae octo aliis interpretandi modis, solum arridet, nec a nobis nullo loco numeroque habetur, quibus dictionis, ab omni immutatione integrae, conseruatio cordi tantum est. Quis igitur iure collocationem hanc uerborum atque conformationem, non uiolentam, reprehenderet, τοῦτο τὸ ποιήσιον ἐστὶ ἢ καινὴ διαθήκη, et καθ' ὑπαλλαγὴν, τοῦτο τὸ ποιήσιον ἐστὶ τὸ αἷμά μου τῆς καινῆς διαθήκης? de figura uid. Sal. Glasfius, *lib. III, tract. 1, Philol. S.* Praeterea nihil obstat, quo minus praepositionem ἐν, ἐν τῷ αἵματι μου, sine tenuissimā *Hebraismi* suspicione, in Latinam, propter, conuertamus, uestigiis Sophoclis, Luciani et Appiani, insistentes. Vnde causa fit perspicua, quamobrem poculum sit nouum Testamentum, nempe, propter sanguinem, secus, tueri nomen suum haud posset, Hebr. IX, 18. In hoc enim, tanquam fundamento, illud innititur, hic istud sancit, obsignat et confirmat, idemque, in et cum uino, praesentissimus, remoto penitus signi indicio, funditusque deleto, necessaria plane consecutione, calice bibatur ore, oportet. Nec *διαθήκης* natura repugnat, quae, praeter ultimae uoluntatis, literis mandatae, notam uulgarem, instrumenti munere interdum fungitur, rem, testamento promissam, testantis uoluntate, exhibentis simul et tradentis. euoluatur *Conr. Rittershufius, sac. lection. VIII. 6.* Intercedit hic et obnuntiat Beza, uinum *μετωνυμικῶς* dici ipsum foedus, cum duntaxat sit significatio foederis, aut eius potius, cuius beneficio illud ictum, id est, sanguinis Christi, non aliter, ac apud Homerum, *Iliad. Γ. υ. 245, 246*, foedera firma dicuntur agni et uinum,

Κηρι-



Κήρυκες δ' ἀνά ἅς τ' ὁ Θεῶν Φέρον ὄρκια πιστά,
Ἄρει δ' ὕω, καὶ ὄνον, κ. τ. λ.

At uero *Scholias* docet, ὄρκιον non modo exponi foedus, uerum τὰ quoque εἰς ὄρκιον χρέσιμα, quicquid, ullo modo, ad hoc faciendum pertinet, uel conducit. Sic, non inepte, καθ' ὑπαλλαγὴν γραμματικὴν, τὴν διαθήκην καινὴν, liceat efferre in modum, sit uenia uerbo technicorum, *adiectiui*, διαθηκικὸν καινὸν, ἐν τῷ ἀμαρτί μου. Usque adeo μετωνομία Bezae exspirat, totaque dubitandi ratio eneruatur. Adde, non nominatim legi, *uinum est ipsum foedus, sed poculum est foedus*. Ex his, haetenus excussis, argumentum, omni exceptione maius, efflorescit redundatque, non esse sanguinem hircorum et taurorum antiqui Testamenti, nec agni, festo *Paschatis* tempore tum macerati, τύπον, uidelicet illum, seu signum ac umbram ipsius Christi, ἀντίτυπον in Nouo, quo uaticinationibus, ad unam omnibus, moriturum praedicentibus, morte ipsa, prorsus omnique ex parte, satisfiebat. Absurdum enim foret, perpetuare uelle signum, cum iam sui copiam fecerit signatum. Alioqui uetus illud, sollemnissimum manifestissimumque nouo, ignobiliori et obscuro, longe anteferendum, retinere praestitisset. Accedit alia asseueratio, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἀφῆσιν ἀμαρτιῶν, quod sane non uino assignatur, sed sanguini, uniuersum hominum genus in libertatem, ex aeterna furiarum seruitute, afferendi causa, profuso, Act. XX, 28. Illud uulgatus, Arabs, Irenaeus, Cyprianus, Hieronymus, futuri notione, *qui effundetur*, non male, neque praesentis naturae temporis repugnanter, quemadmodum Grammatici passim tradunt, interpretantur. Superest ποτήριον, quo, ad demonstrandum τρόπον, magnopere adiuuari



iuuari uidentur aduersarii, quippe cum, non hi tantum, sed quidam etiam nostratium, in iisque, extra theologos, Sal. Glassius, philologus clarissimus, *Rhet. Sac. tract. I, c. III, συνεκδοχὴν ῥητορικὴν*, uasis continentis, pro uino, quod eo continebatur, haud dubitanter concedunt; rati, nihil utique sic Sacramento derogari, dummodo uerbis *συσαλιμοῖς, Φάγετε, τοῦτό ἐστὶ τὸ σῶμά μου, πίετε, τοῦτό ἐστὶ τὸ αἷμά μου*, nulla mutationis uis afferatur. Vtcumque sit, bona ipsorum pace, Chemnitii stabimus iudicio, Christum, non tecte ac perplexe, quod neque necessitas, neque perspicuitas, neque ornatus postulauit, uerum apertissime, id temporis, esse locutum, certe apud Matthaeum, quo, iam supra, sedem salutaris huius doctrinae fiximus, ut omnium fidei capitum, semel propria nudaque dicendi ratione, constitutam, licet figurae, quae, autoritate Quintiliani, I. O. IX, 1, propriis fieri uerbis possunt, identidem obiiciantur. In aliquibus Paulli locis, ubi *κλώμενον*, I Cor. XI, 24, et comm. 29. *κῆμα ἐαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει*, legitur, non tam uehementer repugnaremus, quoniam utrumque cum rei nostrae natura minus coniunctum est, ac alterum actionem fortuitam, alterum poenam abutentis sacrosancto hoc epulo, spectat. Ceteroquin uidemur operae pretium facere, si hic commonemus, Christum, postquam, e terris discedens, ad dextram Dei confidere coepit, per fidissimum illum suum administrum, altius repetiisse coenae memoriam, a se quondam celebratae, eique, in tertium usque coelum abrepto, ac rem ueluti praesentem adducto, aperuisse, et, quae difficiliora intellectu ibi erant, aut controuersa, alia explanasse, alia magis confirmasse. Sic ipse, ad augendam enuntiati uim pariter, ac loquentis simplicitatem comprobendam

dam, *pronomen*, possessionem notans, fecus, ac in commentariis eorum fit, qui *Euangelistarum* nomine distinguuntur, statim τῷ τούτῳ adiicit, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. Pari modo κλάμενον eo ponit, quo, unum idemque corpus, intelligatur, et, in cruce, διδόμενον, et, in coena, κλάμενον, id est, Hebraeorum more, distributum, porrectum, perceptumque. Sed redeamus eo, unde diuertimus. Πόσηριον, si naturam ipsius exquiras, tum demum accurate, et origini conuenienter, sic nuncupatur, cum potionem continet, idemque saepe ualet, ac ipse potus, inde hauriendus, nec, formae, aut materiae, sed usus officique, ratione, ἀπὸ τοῦ τὴν πόσιν τηρεῖν, *Etymologici* notatione, haud inepta, ducitur, ad alia quoque tamen facile translato. Μετωνυμίαν ibi cum primis Caluini confectatores mordicus defendunt ac obiiciunt, testesque, in hanc rem, citant cuiusuis generis scriptores. At non temere factum, credas, ut uniuersi, a Deo afflati, in sanctiore hoc argumento, nulla membranarum discrepantia, eodem uterentur uocabulo, quamuis ἐκπωμα, δέπας, κύλιξ, κύπελλον, κώφον, reliqua, fuerint in promptu aequae, ac usu. Tanto minus sanam in mentem ueniat, cogitare, Christum in manus liquorem sumfisse, quod inde, uelint, nolint, conficeretur, necesse esset, si, non de toto calice, sed uino duntaxat, sermo infitueretur. Ipsius uero potus significatio ex Matthaei, X, 42, et Marci, IX, 41, dicendi ratione, ποσίσειεν τινὰ πόσηριον, ψυχροῦ, ὕδατος, manifesta est. Accedit, quod salutaris huius mensae poculum non, per se, suaque natura, nulla diuinius instituti habita ratione, consideratum, sed in officio, ordine, ac coniunctione, mysterii plena, constitutum, propinatur, in quod διαμερίζεσθαι, Luc. XX, 17, καινὴ διαθήκη, 20, εὐλογίας, 1 Cor,



1 Cor, X, 16 πίνεν, 21, pulchre conueniunt. Renouat impetum in τῷ κοινωνίᾳ, 1. Cor. X, 16, quod robur, addat μετανομίας commento, et aliis, in Testamento signi speciem prae se ferentibus, litemque, de propositione Iesu, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, dirimant, cum, communicatio corporis, et ipsum corpus, diuersissima loquantur. Obscura tamen ex clarioribus cognosci, necesse est, nosque adire sedem illius, et Paulli, τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, καὶ τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ad exhibentia Matthaei uerba, λάβετε, Φάγετε, τοῦτό ἐστι, cetera, κοινωνίαν uero τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, κ. 7. λ. ad participationem externam, uel acceptiōnem, exhibiti, post benedictum, cum pane, corporis pariter ac, cum calice, sanguinis Christi, referre oportet. Ita enim Graeci, inter alia, uocabulum usurpant, unde confociatio interior cum Christi coetu, quin, ipso Christo, tanquam effectus, dimanat. Dictionis adeo argumentis conuicti diuersorum a nobis homines sacrorum, instant, rationes corporis Iesu, nostro et similis, et dissimilis, inter se configere, absurdumque esse, et in coelos sublatum, et eodem, cum pane ac uino, in solenniore hoc epulo, arctissime connexo, salua ipsius nihilo fecius natura, non mente tantum ac cogitatione pia, fiduciaque plena, praesentiam complectente, sed reuera, ipse met ore, in his terris, nos uesci, quod hominis, addimus nos et temperamus, ab ὑποστάσει quidem diuina destituti, atque mortalis, penitus euerteret conditionem. Si ita, cum illis, ratiocinari liceret, actum esset de Deo, S. Triade, generatione Filii, futura uitae restitutione, ceteris, quae Ariani, Marcionistae, Manichaei, Origines, τροπικῶς, propter rationis ἀντιλογίας, enarrarunt.

Errata, operarum festinatione, emendanda sunt, ac legenda p. 17, l. 25, περιχωρήσει p. 23, l. 26, ἰσοῦ, p. 24, l. 9, ἰσοῦ, p. 28, l. 3, ἰσοῦ, p. 17, παλαιούσθαι, p. 25, l. 12, ἰσοῦ, p. 37, l. 1, ἰσοῦ, p. 40, l. 24, δικαιούμενοι, ut de interpunctione et diuisione taceatur.

